

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Theologica De Baptismo Apostolorvm Hoc De  
Mysterio Sententiam Evolvens Eivsdemqve Ad Ipsorvm  
Vsque Excessvm Historiam Perstringens**

**Hosmann, Gustav Christoph**

**Kiliæ, [MDCCXXXII?]**

**VD18 13278266**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16850**

27

DISSERTATIO THEOLOGICA  
**DE BAPTISMO**

APOSTOLORVM HOC DE MYSTERIO  
SENTENTIAM EVOLVENS EIVSDEM-  
QVE AD IPSORVM VSQVE EXCES-  
SVM HISTORIAM PERSTRINGENS

QVAM  
D. O. M. A.

IN ILLVSTRI ACADEMIA

**CHRISTIAN - ALBERTINA**  
SECUNDVM CONSTITUTIONEM  
**FRIDERICIANAM**

DIE XXVII. FEBR. A. MDCCXXXII.

BENEVOLA DISQVISITIONE

PUBLICE EXAMINANDAM  
PROPOVNNT

P R A E S E S

**GVSTAVVS CHRISTOPHORVS  
HOSMANNVS**

CELS. PRINCIPI HERED. A SACRIS SVPREMI CON-  
SISTORII ADSESSOR SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE  
PROF. P. ET AD ÆDEM DIVI NICOLAI  
ECCLESIASTES

ET RESPONDENS

**AVGVSTVS DIETRICHSEN**

KILIÆ, LITTERIS GODOFR. BARTSCHII.





Landesbibliothek Oldenburg

POTENTISSIMI  
DANÆ AC NORVAGIÆ  
**R E G I S**  
INTIMO STATVS ET REGIMINIS  
ADMINISTRO  
**ILLVSTRISSIMO DOMINO**  
**OTHONI BLOME**  
ORDINIS ELEPHANTINI  
EQVITI AVRATO  
**DOMINO**  
IN NEVENHOFF KALTENHOFF  
ET BIRCKENMOHR  
**PATRONO SVO GRATIOSISSIMO**  
QVALESCVNQVE HASCE  
**STVDII SVI THEOLOGICI**  
PRIMITIAS  
TENVE MVNVSCVLVM  
SED DEVOTISSIMA MENTE  
D. D. D.  
**RESPONDENS**



# *ILLVSTRISSIME DOMINE!*

**N**ihil, fateor, vel ingenium  
vel industria offerre cui-  
quam potest, dignum sa-  
tis existimandum, cui tesserae instar  
systatica*ILLVSTRISSIMI*  
NO.



NOMINIS TVI ornamentum,  
antiquo scriptorum more, praefiga-  
tur; tantam eidem ingentis animi  
TVI summum et prope immensum  
decus, meritorumque TVORVM  
immortalium et multitudo et splendor  
incomparabilis, iampridem adiunxe-  
runt gloriam, tantamque omnium  
conciliarunt admirationem. Leuat  
tamen audaciae quam mibi indui gra-  
uissimam caeteroqui culpam, iustum  
que quam cummaxime subeo repre-  
bensionem, incredibilis illa excelsae  
TVÆ mentis erga litteras litteratos-  
que propensio, quae tot inter heroi-  
cas virtutes ita in TE eminet omni-  
umque adeo perstringit oculos, ut

bac



bac ipsa cum primis , in supremi cul-  
minis fulgore , posteritati in quod per  
omnes saeculorum aetates intuea-  
tur specimen exemplumque proponere  
eruditis quidem videare . Spero id-  
circo et omnino etiam confido , cum  
omnes fere nostri ordinis homines ,  
quibus aliquem ingenii doctrinaeque  
locum tribuis , tam insigni prorsusque  
singulari complectaris gratia , totque  
magnis adsidue ornæ benefiis , im-  
mo religione quadam **TIBI** obstrin-  
gas , fore , vt hoc etiam qualecun-  
que meae erga **TE** pietatis , atque  
ardoris iuxta , quem in iis qui ve-  
stibulum modo scientiarum ingressi  
sunt , pro summa iudicij **TVI** ae-  
quita-



quitate, haud contemnendum, quin  
potius laudabilem ducis, publicum  
quod demississima mente offero, et san-  
ctissimi utique argumenti, testimo-  
nium perbenigne, et serena ut con-  
sueisti fronte, accipias; meque in  
deuotissimis TVIS censeas habeas-  
que clientibus, qui DEVM T. O. M.  
seriis precibus enixe venerantur: ut  
felicitatem TVAM florentissimam,  
gloriamque cui nihil iam addi potest,  
propriam TIBI ac perennem esse,  
vegetamque corporis incolumentem  
prosperrimamque valetudinem TVAM  
cum ipsa inter mortales vita, ad lon-  
gissimos quippe humanae conditionis  
terminos, quod omnes cupiunt optant-  
que,



*que, proroganda, quam serissime iu-  
beat finiri. Scribebam Kiliae, in  
Academia Christian-Albertina VI.  
Cal. Martii M DCC XXXII.*

**TIBI**  
**ILLVSTRISSIME DOMINE**

*devota mente obsequiosissimus  
AVGVSTVS DIETRICHSEN*





I. N. I. C.

## SECTIO I.

APOSTOLORVM HOC DE MYSTERIO  
SENTENTIAM EVOLVENS.

### DEFINITIO.

Baptismus est mysterium initiationis sub novo  
testamento ordinatae necessitatis, aeternae  
salutis causa diuinitus institutum, quo homines  
vtriusque sexus et cuiusvis aetatis, per ablutionem,  
naturali aqua, in nomine Patris et Filii  
et Spiritus Sancti, et ordinarie ab Ecclesiae mi-  
nistro peragendam, Spiritu S. propter diuinam  
institutionem ad aquam accedente, fidemque in  
infantibus quidem producente in adultis vero  
confirmante, in foedus gratiae a DEO recipiun-  
tur, cuius efficacia per totam eorundem vitam  
se extendit.

### THESIS I.

Baptismus est mysterium initiationis, proinde se-  
mel rite collatus non debet iterari.

Prius huiusc positionis membrum, siue antecedens,  
tantum non iisdem verbis adfirmavit Paulus Coloss.  
II. 11. seq. ubi *Baptismum in locum circumcisionis suc-*  
*cessisse edixerunt*; cui clarissimo effato alia eiusdem

A

Apo-



Apostoli quae idem nos condocent iungenda sunt testimonia, v. c. *in Christum IESUM* nos baptizari, Rom. VI. 3. *baptizatos in Christum* Christum induisse, Gal. III. 27. *in unum corpus* nos omnes esse baptizatos. Instar omnium vero Servatoris haec censemus verba: *Nisi quis fuerit genitus ex aqua (a)* et Spiritu, NON POTEST INTROIRE *in regnum DEI* Io. III. 5. Neque aliam ob caussam Paulus 1 Cor. X. 2. ad dispersionem illam, quam Israelitis olim mari simul et nube obtigisse innuit, per quam videlicet in disciplinam, Mosis deinceps ministerio institutam, concesserunt, (*εἰς τὸν Μωϋῆν*) (b) *Baptismum* nuncupauit: quam vt adspersionem istam *pro type agno-*

(a) Qui Baptismum efficax regenerationis medium esse infitantur pessime haec verba torquent, vt quiduis potius per *aquam* quam Baptismum hic intelligi ostendant. Sed nullas expōnunt rationes, cur genuina vocabuli significatio locum hic tueri nequeat; at citra manifestam necessitatem figuratas longeque petitas notiones vocabulis subiicere, idem est ac diuinissimo verbo violentas inferre manus; conf. B. Thomæ Ittigii *Dissert. ad Theodori Abucarri opusculum de Baptismo fidelium etc.* quae exstat in *Exercitationibus theol. variis argumenti*, p. 60. sq. itemque ven. Wolfi *Curas philol.* ad h. l.

(b) Franciscus Turretinus postquam incommoda quibus allorum hoc de loco sententiae obnoxiae sunt indicasset, *putamus ergo, inquit, longe conuenientius loqui eos qui censem Mo- sen hic metonymice designare DOCTRINAM ET DISPENSATIO- NEM MOSAICAM*, quomodo fieri saepe solet in scriptura Luc. XVI. 29, *HABENT MOSEN ET PROPHETAS* et Act. XV. 21. *MO- SES HABET QUI PRAEDICENT IPSVM*, et Jo. V. 45. *MOSES IPSE VOS ACCVSABIT.* - - ita *BAPTIZARI IN MOSEN ni- hil aliud erit quam baptizari IN DOCTRINAM ET LEGEM MOSIS;* in dissert. de *Baptismo nubis et maris* §. 19.



agnoscamus Baptismi, utpote *initiationis* sub nouo testamento diuinitus institutae (c); siquidem in disciplinam cultumque, eminentiori *Seruatoris auctoritate promulgatum*, (*εἰς Χριστὸν Γησεΐν*) baptizatos nos esse, alibi, ut diximus, inculcauit. In Christum enim baptizari nihil aliud significat, quam per Baptismum in Christi disciplinam concedere; Christum autem induere, mysticam infert unitatem, quod ex Galat. III. 27. abunde perspicuum est. Inde vero per pronam simul consecutionem emergit: Baptismum, rite quidem collatum, neutiquam debere iterari; illud enim ab indole initiationis prorsus abhorret. Accedit quod in Scriptura S. nullum adpareat vel mandatum de iterando Baptismo vel rebaptizati exemplum; illos namque qui in vexatissimo loco Act. XIX. 4. seq. eiusmodi inuenisse se putant exemplum, commatis s. verba, quae Paulina sunt, perperam Lucae narranti tribuere, recte pridem obseruatum, et manifesta commatis s. apodosi (δέ) quae protasis (μὲν) commate 4. a Paulo prolatae aperte respondet, demonstratum est. De mysterii denominatione confer *Thesin V.*

## THESIS II.

Mysterium Baptismi diuinitus institutum est.

Proselytorum baptismum ante Joannis aeum in gente Ju-  
daica obtinuisse idoneis et quae rigorosum examen susti-  
neant argumentis probari nequit. Vt cunque tamen sit, Apo-  
stoli nihilominus Baptismi Joannei, a Christo deinceps con-  
firmati, quem *Mysterii* denominatione intelligimus, diuinam  
agnouerunt et praedicarunt originem; Joannem enim missum  
fuisse ut baptizaret, Apostolus et Evangelista cognominis ipsis

A 2

eius

(c) Chrysost. T. V. Orat. LI. η διάβασις ἐκείνη τῷ μέλλοντος  
Βαπτισμῷ ήν τύπος.



eius verbis testatur cap. I. 33. Lucas autem *venisse* dicit *Ioannem et praedicasse Baptismum*, factō ad ipsum *Dei mandato* in *deserto*, cap. III. 2. 3. et cap. VII. 30. *Baptismum Ioannis DEI consilium* nuncupat. Confirmationem vero huiusce actionis, a Seruatore sub ipsis noui testamenti auspiciis factam, qua coram omnibus Apostolis vniuersalis illam et perpetuae in Ecclesia declarauit necessitatis, Matthaeus memoriae mandauit, cap. XXIX. 19. Optatus quidem Mileuitanus, Lib. V. de Schismate Donat. c. 5. *nemo*, inquit, *tinctus fuerat* (a Ioanne) in Trinitate: *nemo adhuc nouerat Christum, nemo audierat esse Spiritum S.* At ubi venit tempus plenitudinis certo tempore dedit leges Baptismatis Filius DEI, et dedit viam qua iretur ad regna coelorum: etiam tunc p̄aceperit dicens: ite docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Ex ea die oportuit fieri quod mandatum est: ante tempus noluit emendare quod operatum est, ne licentiam rebaptizandi daret; quamvis alterum fuerit Baptisma Ioannis, et alterum sit Christi. Verum non aliam ob caussam haec dicuntur ab Optato, quam quod ex Lucae narratione Act. XIX. 1. sq. ab aduersariis suis recte confici censeat, baptizatos a Ioanne iterum baptizatos esse a Paulo. (d) Nullam vero rationem video cur Ioannes Baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus S. peregrisse dici nequeat; maxime cum ipsem et Io. III. 34. 35. *Spiritus, Patris et Filii* distinctam fecerit mentionem. Ioannis autem VII. 39. de extraordinariis Spiritus S. donis sermonem esse nulla indiget demonstratione.

THE-

(d) Non dissimile responsum et distinctio est Hieronymi, in dial. contra Lucifer. et Augustini L. II. contra Petil. c. 37. III. 56. et L. V. de Bapt. contra Don. c. 9. 10. notante Balduino ad h. I. Optati.



## THESIS III.

Necessitas Baptismi non est absoluta sed ordinata.

**N**ecessitatem Baptismi, quippe quae ex diuina eiusdem origine et Christi mandato, Matth. XXIX. 18. 19. immo ex grauissimo eiusdem adserto, Io. III. 5. satis abundeque intelligitur, Apostolis Seruatoris obscuram vel dubiam fuisse nemo facile crediderit, vid. Act. II. 38. (e) Quo minus tamen absolutam hanc censerent necessitatem obstitit illustrissimum Christi effatum, singulari magnaue cautione ita conceptum, ut Baptismo quidem, tanquam medio diuina auctoritate ad salutem ordinato, maxima sua constaret dignitas et necessitatis existimatio; neque tamen crederetur, solam eius priuationem damnationis reatum importare, Marc. XVI. 16. (f) Sed cum maxime profecto obstitit (g) circumcisio[n]is, cuius in-

A 3

dolem

(e) B. D. Fechtius scripsit *Diss. de necessitate Baptismi sacro sancti contra Fanaticos recentiores*, Rostoch. 1714. Dippelii scripto: *Wahre Wasser-Tauffe der Christen*, quo necessitatem Baptismi impugnauit, cum maxime oppositam.

(f) Recte Bernhardus: *nota quod Salvator, cum diceret, qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit, caute ex vigilanter non repetierit: qui vero non baptizatus fuerit, sed tantum, qui vero non crediderit condemnabitur, innuens solam fidem interdum sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil.*

(g) Argumentum, quo praeente Augustino B. Dannhae[r]us aliquique vtuntur, *Seruatorem latroni in cruce demum conuerso sine Baptismo spem salutis fecisse, infirmum et obscurum est*; idcirco Augustinus deinceps L. II. retract. c. 55. magis probabile videri adfirmauit quod baptizatus fuerit. In il[lis] fortasse numerandus est qui a Ioanne vel a Christi di-



dolem rationemque ipsi huic actioni adseruerunt, non abso-  
luta, sed ordinata, quae aliunde nota est, necessitas. (h)

#### THESIS IV.

Baptismus ablutione, naturali aquā in nomine  
Patris et Filii et Spiritus S. peragenda,  
absoluitur.

Cum genuina Sacramentorum ratio diuinam pro funda-  
mento habeat institutionem, res ipsa docet, aliam vel  
materiam vel formulam substituere, idem esse ac sublato Sa-  
cramento actionem introducere mere humanam, nullaque  
promissione fultam. Proinde Apostolorum hac de re sen-  
tentia in dubium vocari prorsus nequit. Quemadmodum  
Ioannes aqua naturali usus est, Matth. III. 16. Io. I. 26. III. 23.  
Act. I. 5. Ita Apostolos eorumque socios non alium liquo-  
rem adhibuisse ex Act. VIII. 36. s. X. 47. Eph. V. 26. 1 Pet. III.  
20. s. Heb. X. 22. aliquisque locis recte colligitur. Idem de for-  
mula sentiendum est; verba namque Paulina, 1 Cor. III. 13.  
*num in Pauli nomine baptizati estis?* Baptismum sub commu-  
ni quadam formula, *in nomine videlicet diuino administratum*  
fuisse, clarissime testantur. Neque ex Act. II. 38. IIX. 12. 16.  
X. 48. probari potest in Christi tantum nomine Baptismum  
ab

---

scipulis baptizati sunt. Augustinus quidem L. III. de anima,  
e n. credibile censuit, latronem istum ex latere Christi per-  
fusum esse; sed hanc sententiam auctori suo relinquimus,  
conf. Ittingii *Diss. de Baptismo fidelium etc.* §. 24.

(h) Urbanus Regius *Scripturam veterisque Ecclesiae auctoritatem*  
*cogere*, putauit, *ut crederet parvulos non baptizatos damnari*,  
Opp. Lat. P. I. p. 107. sed huic sententiae, magni licet viri,  
nostrates nunquam subscripterunt.



ab ipsis collatum esse; siquidem in eiusmodi locis, in quibus  
duntaxat narratur, quod quidam initiationis Sacramento in  
communionem Christianam recepti sint, formulam Bapti-  
smi, aliunde notam, plene semper et accurate describi, neu-  
tiquam necessarium est. Sed pro nostra etiam sententia lu-  
culenta faciunt testimonia scriptorum ab apostolico aeuo non  
nimis remotorum, quae formulae praescriptae vsum ab omni  
liberant contradictione, eamque adeo ab Apostolorum inde  
temporibus in Ecclesia obtinuisse indicio sunt haud conte-  
mnendo, Iustini M. *Apol.* I. §. 79. et Tertulliani *adu. Praxeam*  
*cap.* 26. Sed ablutionem quanam ratione peragendam dux-  
rint Apostoli? vtrum scilicet immersioni omnino censue-  
rint necessariam, an vero adfusionem iuxta permiserint, ma-  
ioris altiorisque indaginis est. Quodsi argumenta quibus pro-  
bare quidam annituntur, adfusionem Apostolorum iam ae-  
uo, eorundemque omnino auctoritate, locum in Ecclesia  
habuisse, firmo subsisterent tali, alia certe haud opus foret  
probatione. Sed, verum vt fatear, admodum haec sunt lu-  
brica et obscura. Primo namque ex Act. II. 41. IX. 19. X. 48.  
haud rectius, vt puto, cogitur, Baptismum vel sub teſto, vel  
per adfusionem collatum esse, quam ex aliis Actorum locis  
a nonnullis, vt diximus, conficitur, in formula Baptismi so-  
lius Christi prolatum fuisse nomen. Deinde 1 Pet. I. 2. ad  
quem locum alii subinde prouocant, *πάντισμὸν ἀπωλότος ἡ οὐρανοὶ*  
*Χριστὸς* Baptismi descriptionem non inferre, ex Heb. X. 22. 23.  
liquet, vbi *πάντισμος* et lotionis baptismalis distincta exstat  
mentio. Neque maioris hanc in rem ponderis roborisue, si  
quid iudico, existimanda est, quae ex lata verbi *βαπτίζειν* si-  
gnificatione, ab aliis immo a plerisque deducitur ratio. Quan-  
quam enim haud desint eiusmodi Scripturae loca, quae so-  
lam subinde adfusionem seu lotionem hoc verbo denotari  
osten-



ostendunt et confirmant, immo Luc. XI. 38. passiuia eiusdem forma ita visurpetur, vt manuum tantum lotionem inferre queat; abunde tamen constat, quaelibet verba, quantumuis latissimae caeteroquin potestatis, ex quo ad certam quandam rem vel actionem per supremam auctoritatem determinata sunt, numorum instar valere, eandemque deinceps vel rem vel actionem, diminuta scilicet potestate, denotare. Sed verbum *baptizare*, quatenus initiationem, quam nuncupamus, sacramentalem significat, ad eam determinatum est actionem, ad quam missum se dixerat Ioannes, Christi nempe mandato confirmatam; iam vero Ioannes actionem istam neque manuum lotione, neque sola adfusione perfecit, sed potius immersionis causa *ad copiam aquarum fecerit*, Io. III. 23; vt ne dicam Christum etiam *ex aqua adscendisse*, Matth. III. 16, proindeque immersum fuisse; immo sane ex Pauli verbis, quibus Baptismum *sepulturae et resurrectionis spirituialis representationem sistere innuit* Rom. VI. 4. apostolico aeuo immergendi morem obtinuisse, valde perspicuum est. Paulum quidem 1 Cor. XV. 29. ad clinicorum Baptismum remisisse Epiphanius nos condocet, verique vt arbitror simillimum est; *de modo* vero huiusc Baptismi in vtramque partem disputari posse quilibet facile intelligit. Quantumuis autem adfusionis vel adspersionis ritum Apostolorum aeuo obtinuisse, eosdemque auctores agnoscere apertis validisque rationibus demonstrari nequeat; Apostolos tamen adfusionem non omnino adsperrnari potuisse, aliunde extrahimus. Baptismum nempe in locum circumcisiois successisse Paulus nos condocet ad Coloss. II. sed sacramenti circumcisiois, quod ad modum externae eiusdem applicationis attinet, limitata vtique et dispensabilis fuit ratio; siquidem sacramentalis haec initiatio, notas propter causas, sola nonnunquam incisio-



incisione peracta est, neque tamen vel a Prophetis, vel ab aliis DEI seruis tanquam illegitima improbata. Iam porro si Apostolorum aevo Ecclesia in septentrionales hasce regiones omnino fuisse dilatata, proindeque delata ad ipsos quaestio: cum plerique infantes sola hic adfusione baptizandi sint, utrumne satius ducerent reliquos eodem ritu initiari, quam vel dilationi cum periculo coniunctae, vel conscientiarum angori, vel schismati materiam occasionemque exhibere, vel denique insignem istam cultus diuini partem a publica Ecclesiae facie ad priuatos omnino transferre parietes? aut fallor, aut, propter necessitatem Baptismi, et alia quae huc spectant principia, adfusionis vel adspersionis ipsi nobis fuissent auctores.

### THESIS V.

Baptismus ordinarie a ministro Ecclesiae conferendus est; urgente vero necessitate a quolibet christiano, immo a femina, recte administratur.

Baptismum ad *mysteria* DEI pertinere, quorum dispensationem sibi caeterisque Ecclesiae ministris demandatam Paulus 1 Cor. IV. 1. adfirmauit, nulla fere indiget demonstratio; *mysterii* quidem vocabulum quam latissime patet, at hoc tamen loco de eiusmodi tantum loquitur mysteriis, quorum dispensatio curam et circumspectionem requirat v. 2. 4. 5. et ad muneris apostolici cummaxime pertineat rationes. Sed praeter verbum diuinum Baptismum imprimis hic intelligi, non ex mandato tantum Seruatoris, quo Baptismi administrationem cum verbi praedicatione coniunxit, verum etiam inde colligitur, quod *mysterii* denominationem dupli omnino

B

sensu



sensu recipiat: praeterquam enim quod diuinitus institutus est, modoque proflus incognito supernaturalem producit effectum, Io. III. 8. 9. representationem quoque exhibit mysticae cum Christo sepulturae et resurrectionis Rom. VI. 4. hoc namque sensu coniugium *magnum* dicitur *mysterium* Eph. V. 32. Eadem Gregorii Nazianzeni est interpretatio, siquidem Orat. XXXIX. pag. 632. illos qui Baptismum conferunt *εινούσις τῇ μυστηρίῳ* nuncupat. Immo sane cum diuina haec actio fidem salvificam vel producat vel confirmet, ac proinde in reconciliatione cummaxime versari existimanda sit, Eph. V. 26. Tit. III. 5. ad ministerium ecclesiasticum reconciliationis causa diuinitus institutum, Act. XX. 28. 1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. 2 Cor. V. 20. cumprimis illam pertinere, dubitari nequit. Quemadmodum vero circumcisionem vrgente praesentissimo vitae periculo, a femina etiam peractam fuisse Exod. IV. 24 seq. legitur, ita Baptismus quoque, quem Paulus in locum circumcisionis successisse docuit Col. II. 11. eiusdemque adeo necessitatis esse significauit, propter idem periculum a laico, immo a femina collatus, Apostolis nequicquam potuit improbari.

## THESIS VI.

Spiritus S. ad aquam Baptismalem accedit, vt supernaturalis consequatur effectus.

**P**etri quidem verba 1 ep. III. 21. in quibus nonnulli indicium huiusc sententiae exstare putant, haud firmam suppeditant probationem; non enim scripsit: *aqua* [in casu recto, ut ipsi quidem opinantur (i)] *nos saluat*, sed: *Βάπτισμα ἀντίτυπον* *nos*

(i) Vid. Io. Ad. Scherzeri Systema Theol. Loc. XIV. §. 16.  
p. 362.



nos nunc etiam aquâ (siue per aquam) seruat; Neque maioris hanc in rem virtutis est argumentum quod a panis et vini eucharistici ratione ex 1. Cor. X. 16. deducitur, quippe quod sacramenti vnice innititur denominatione, non ab Apostolis quidem profecta, sed ab hac ipsa potius sententia, aliunde idcirco demonstranda. Neque ex Christi denique verbis: *nisi quis natus fuerit ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, Io. III. 5.* quidquam emergit, quod demonstrationis hic vices sustineat; (k) siquidem per spiritum alterum regenerationis organon, verbum nempe, hic intelligi, vt sensus sit: *ex aqua VEL (l) ex verbo*, inde vt opinor manifestum est, quod nulla ceteroquin hic exstaret responsio ad dubium a Nicodemo proxime propositum: *πῶς δύοτοι ἀνθρώποι γέννησι τέρπων ὦν*; Baptismus sane, cum in infantibus tantum fidem producat, adulorum intuitu regenerationis organon, proprie quidem, dici nequit. Non desunt tamen alia, et luculenta certe veritatis huiuscem indicia. Paulus namque ad Titum III. 5. 6. cur regenerationem et renouationem, quam Baptismo tribuit, Spiritus Sancti dicat, ipsique adeo tanquam auctori adscribat, hanc reddit rationem: *quod Deus ipsum in nos copiose EFFVN-DAT per IEsum Christum*; at certe prospicere potuit Apostolus, immo Spiritus S. non posse non ex metaphorico hocce loquendi modo, idea quippe de baptismali lauacro proxime ab ipso excitata, hanc ipsam de sacramentali, quem nuncu-

B 2

pamus,

(k) qui ex h. l. positionem nostram probari putant, vnica dicunt praepositione aquam et spiritum hic coniungi, tanquam eiusdem generis caussas, ad effectum simul concorrentes; verum huic argumento nihil plane nerui inesse innumeris Graecorum scriptorum locis demonstrari potest.

(l) Eadem significatione particula καὶ legitur Matth. VII. 10. Act. XVII. 21. XXVI. 29. Apoc. XXII. 5.



pamus, Spiritus S. ad aquam accessu, enasci sententiam; quemadmodum Paulinus Nolanus Epist. XXXII. ad Seuerum, ex hoc ipso ut suspicor loco, poëtica quidem dictione, infert:

*Sanctus in hunc coelo descendit Spiritus amnem,  
Coelestique sacras fonte maritat aquas.*

Cum vero nulla hic locum habeat imprudentiae suspicio, non gratis profecto, sed firmo iudicio decernimus, figuratam hancce dictioñem eo hic comparatam esse, vt apostolicam de sacramentali accessu Spiritus S. sententiam aperiat et exponat. Addo locum haud minus clarum Act. XXII. 16.  
*ἀναγεῖς Βάπτισμα καὶ ἀπόλυτον τὰς ἀμαρτίας σου. surgens βαπτιζαρε εἰς τὸν πόντον τὸν αὐλαῖον* et ablue peccata tua; quem scilicet eandem sententiam inferre, quilibet intelligit.

## THESIS VII.

Efficacia Baptismi a diuina pendet  
institutione.

Paulus certe non aliam ob caussam improbat acriterque reprehendit discriminantes istas Corinthiorum quorundam voces: *Ego sum Pauli, ego Apollonis, ego Cephae,* 1 ep. I. 12. 13. III. 4. 5. quam quod Baptismum non in nomine ipsorum suscepint, sed fidem eiusdemque confirmationem Deo referre debeant acceptam: *τίς γένεις Παῦλος, τίς δὲ Ἀπόλλων ἢ διάκονοι διὸν ἐπιγεύσαται, καὶ ἐκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἐδώκεν, ώνδη* commate 7. ita infert: proinde neque is qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ἢ ὁ αὐχένων θεός, et comm. 21. nemo gloriatur in hominibus. Ex ipsa itaque formula Baptismi, Paulo iudice, dilucidum est, efficaciam eius non a conditione administrantis pendere, sed ab institutione diuina. Immo ad Ti-

tum



tum cap. III. 5. *Deus, inquit, ex misericordia sua seruavit nos per lauacrum regenerationis; et ad Ephesios V. 26. Christus Ecclesiam purgauit lauacro aquae per verbum;* add. i Pet. I. 3. *Quodsi ministri vel sanctitate sua, vel intentione, ad salutarem huiusc actionis effectum producendum ita concurrerent, ut vtraque, vel alterutra saltem absente, nulla consequeretur vel regeneratione vel renouatio, neutra certe silentio potuisset praetermitti; neque promissioni Seruatoris eiusmodi subiecta legitur limitatio: qui crediderit et baptizatus fuerit, seruabitur Marc. XVI. 16.* Proinde ex Apostolorum sententia ad efficaciam Baptismi, ex parte quidem administrantis, sufficit ipsa actio ad institutionis normam conformata, quam scilicet Baptismi nomine denotamus.

### THESES VIII.

Soli homines baptizandi sunt.

**H**ominum tantum causa institutum esse Baptismum inde efficitur, quod regeneratione et renouatio spiritualis de reliquis creaturis visibilibus citra insignem absurditatem praedicari nequeat. Dum vero solos homines baptizandos admittamus, nihil non remouemus, cui quidquam deest quod hominem, ut dicitur, *in esse* constituit, atque adeo cadauera etiam humana.

### THESES IX.

Homines vtriusque sexus et cuiusuis aetas baptizandi sunt.

**C**um Act. XVI. 16. et VIII. 12. Lydia aliaeque mulieres baptizatae legantur, omne sane momentum consecrarii, quod caeteroquin a circumcisionis indole pro contraria sententia recte deduceretur, prorsus euaneat. Eadem vero in-

B 3

diciorum evidentia alteram, de infantibus baptizandis, sententiam Apostolis adserimus. (m) Infirmis equidem accenseo probationibus, quam plerique, qui paedobaptismi causam agunt, ex relatione Lucae, de integris familiis baptizatis, exsurgere autmant; siquidem pro fundamento huiusc argumentationis id ipsum ponitur quod probandum est; cum enim exploratum habeamus eiusmodi semper intelligenda esse subiecta, qualia intelligere praedicati permittit ratio: apertum puto, aliunde prius demonstrari debere quod infantes ad Baptismum admittendi sint. Neque fortius quidquam pro Baptismo parvorum adstruendo ex Petri verbis resultat: *poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum: et accipietis donum Spiritus S. ὑμῖν γάρ ἐτιν ή ἐπαγγελία νοὺς τοῖς τέκνοις ὑμῶν,* Act. II. 38. 39. promissionem namque Spiritus S. ad liberos etiam fidelium spectare haud infitantur, qui poenitentiam a baptizandis exigunt, primo quippe loco hic nominatam. Sed alia utique in promptu sunt argumenta, quae insuperabili pollut potestate, omnemque respunnt exceptionem. Primo enim, dum Paulus Coloss. II. Baptismum in locum circumcisionis surrogatum docet, quam apertissime simul innuit, illis saltem haud denegari posse Baptismum, quibus circumcisionis caeteroquin destinata fuisset gratia; maxime cum aliunde notum sit surrogatum hocce sacramentum ad sequiorrem quoque sexum spectare, latiusque proinde patere; nihil itaque agunt, qui contrariam propugnant sententiam, nisi infantibus disertis Scripturae verbis Baptismum negari ostendant, quod

(m) B. Io. Frid. Mayerus Dissertationem scripsit de paedobaptismo Apostolorum temporibus coaevo, contra Gottfr. Arnoldum; Gryphiw, 1708.



quod sicut prorsus nequit. Porro maximi quoque momenti ponderisque existimandum est quod ex ipsius Seruatoris vertice vita hoc modo deducitur consecratum: *Omnis saluandus est baptizandus*, Io. III. 5. atqui *infantes sunt saluandi*, Marc. X. 14. ergo infantes sunt baptizandi. Denique euidentissimam probationem ipsa sistit Baptismi denominatio, qua *lauacrum* dicitur, REGENERATIONIS et renouationis *Spiritus Sancti*, Tit. III. 5. Quantumvis enim *regenerationis* vocabulum, per usum, vel abusum potius ecclesiasticum, oppido nobis ambiguum sit, sensu tamen biblico (n) solam verae fidei infert collationem, si-

- (n) *Lauacrum παλιγγενεσίας*; eadem significatio locum tuetur in Seruatoris promissione Αὐτὸν λέγω ὑμῖν ὅτι ὑμεῖς δὲ ἀκολεύθησαντες μοι ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ὅταν καθίσῃ ὁ ὥνδς τῆς ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνῳ δόξης αὐτῷ καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνοις, Matth. XIX. 28. non desunt enim editiones quae posita post verba ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, τιμῆς non tempus praemii sed modum sequendi iisdem intelligi ostendunt, ut sensus sit: *vos qui me secuti estis per regenerationem sive per gratiam seu fidem regeneratione vobis collatam etc.* quemadmodum Hilarius quoque in Matth. C. XX. *παλιγγενεσίαν* hic de regeneratione Baptismi et fidei sanctificatione, recte interpretatur; et auctor *Operis imperfetti* in Matth. Orat. XXX. tametsi alteram distinctionem secutus: *illud est tempus regenerationis, quando homines regenerati per Baptismum, facti sunt ex filiis hominum filii Dei*; ut nihil dicam de vulgata versione et Gaudentii praef. in Exod. conf. Gatakeri Aduers. S. c. 33. et Suiceri Thesaurum p. 553. negari tamen nequit veteres etiam doctores maiori ex parte *παλιγγενεσίαν* alio sensu accepisse, idcirco enim Augustinus ad Pelag. epist. L. III. c. 3. regenerationem, scripsit, *hoc loco, ambigente nullo, nouissimam resurrectionem vocat.* Sed si vel maxime aliae hic admittendae forent interpre-



quidem Ioannes: πᾶς ἀπὸ μετάνοιας inquit. ὅτε γένησε ἡμεῖς ἡ Χρι-  
στός, καὶ τὸ Θεὸς γεγέννητος, 1. ep. V. 1. et Petrus: Deus nos re-  
genuit ad spem viuam, 1. ep. I. 3. verbum vero diuinum simen  
nuncupat regenerationis v. 23. s. eo quod adulti per verbum fidem  
accipiunt, adde Iac. I. 18. Immo notatu digna est apostolica  
haecce αὐριθεῖα quod Petrus et Iacobus regenitos se dicant  
per verbum, non per Baptismum, et Paulus Corinthiorum  
regenerationem Evangelio tribuat 1. Cor. IV. 15. tametsi Pe-  
trus salutem suam ex Baptismo repeatat, 1. ep. III. 21. et Paulus  
inter effectus diuinissimi lauacri regenerationem hic primo  
loco censeat. Adultis nempe regenerationis gratiam, quae  
collatione fidei absoluitur, ante Baptismum, per verbum  
obtingere, nulla probatione indiget, vbi paedobaptismus  
adstruitur, cum omnis fere controversia de paruolorum Ba-  
ptismo hac ipsa veritate, sed male ab aduersariis nostris pres-  
sa, innitatur. Quodsi igitur Baptismus, adulorum intuitu,  
regenerationis, seu quod idem est collationis fidei lauacrum di-  
ci nequit, necessario pronoque impetu consequitur, infantes  
esse baptizandos; enim uero qui per regenerationem, con-  
firmationem regenerationis, siue fidei, hic intelligunt, illi  
non, vt oportebat, pensitarunt, eandem confirmationem  
renouationis vocabulo diserte hic denotari. Caeterum Apo-  
stolorum aevo non quibuscumque infantibus Baptismum col-  
latum esse; sed iis duntaxat, quos Christiani rite obtulerunt,  
vel inde iudicatu proclive fit, quod externa vis ab indole  
gratiae prorsus abhorreat, neque circumcisio vnuquam per  
vim

tationes: Paulum tamen de futura resurrectione loqui  
nemo dixerit donec vniuersalem admiserit resurrectionem.



vim sit collata, neque Christiani violentiae huiuscemodi actio-  
nis vñquam incusati sint. (o)

Demonstrata Apostolorum hac de re sententia, aliis  
quidem haud opus est indiciis, vnde Apostolorum iam aeuo  
paruulos ad Baptismum admissos fuisse colligamus; in aper-  
to tamen errore versantur, qui ex genuinis apostolicorum  
virorum scriptis nullum pro paedobaptismo argumentum  
formari posse, audacter pronuntiant. Rectius fortasse vel  
maiori saltem specie dicent, nullum apostolici cuiusdam  
viri scriptum ad nos peruenisse, cuius non suspecta sit inte-  
gritas; dum vero paedobaptismum ex apostolicorum do-  
ctorum monumentis probari posse negant, quaedam saltem  
genuina apostolici aei monumenta hodieque extare haud  
obscure largiuntur; proindeque Clementis Romani, nisi fal-  
lor, epistolas intelligunt ad Corinthios perscriptas, aposto-  
lico certe viro haud quaquam indignas. At Clemens, pri-  
mo, in priori epistola §. 17. Iobi testimonio naturalem o-  
mnium hominum impuritatem comprobat: Ιωβ ην δικαιος  
ηγι αμεμπτος, αληθινος, Θεοσεβης, απεχόμενος απο παντος  
κακης αλλα αυτος εαυτη κατηγοραι λέγει ρδεις κα θαρος απο  
φτης, ρδει ει μιας ημερας η ζωη αυτω. Iobus erat iustus et sine  
crimine, verax, colens Deum, abstinentis ab omni malo; sed  
ille seipsum accusans dicit: Nemo mundus a sorde, etiam si vita  
eius unius diei fuerit. Deinde §. 32. diserte docet, neminem

C

coram

(o) Recte B. Aegidius Hunnius T. IV. Opp. p. 760. de infantib-  
us infidelium parentum qui bello vel pretio emit in no-  
stram venere potestatem, atque iam sunt familiae nostrae  
pars, adfirms baptizandos esse, de illis vero quorum  
parentibus a magistratu conceditur inter nos habitare et  
religionis suae gaudere exercitio, negat.



coram Deo, nisi per fidem, iustificari: πάντες γὰν ἐδοξάσθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν, καὶ διὸ αὐτῶν, η̄ τῶν ἔργων αὐτῶν, η̄ τῆς δικαιοπροΐας η̄ς κατειργάσαντο, ὅλλα δἰα τῆς Θελήματος ἀυτῶν. καὶ η̄μεις γὰν διὰ Θελήματος αὐτῶν ἐν χριστῷ Ιησῷ κληθέντες, καὶ διὸ αὐτῶν δικαιόμεθα, καὶ δὲ διὰ τῆς η̄μετέρας σοφίας, η̄ συνέσεως, η̄ ἐυτεβείας, η̄ ἔργων ἡν̄ κατειργασάμεθα ἐν ὅσιοτητι καρδίας. ὅλλα δἰα τῆς πίσεως, διὸ η̄ς πάντας τὰς αὐτῶν ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαιώσει. Omnes igitur glorificati et magnificati sunt, non per seipso, aut opera sua, aut iustas actiones quas patrarunt, sed ex ipsis voluntate. Sic et nos, ex voluntate eius vocati, in Christo Iesu, non per nos ipsos iustificamur, neque per sapientiam nostram, intelligentiam, pietatem, vel opera, quae in sanctitate cordis operati sumus, sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio iustificauit. Porro §. 35. fidem Dei donum nuncupat: ὡς μακάριοι καὶ Θαυμαστὰ τὰ δῶρα τῆς Θεᾶς, ἀγαπητοί ζωὴν ἐν αἰώναις, δαιμονίους ἐν δικαιοσύνῃ, ἀληθείᾳ ἐν παῤῥησίᾳ, πίσις ἐν πεποίθεσι: quam beata, dilecti, quam mirabilia sunt dona Dei! vita in immortalitate, splendor in iustitia, veritas in libertate, fides in fiducia. Denique in posteriori epistola, §. 7. negat parentum iustitiam liberos seruare posse, ita ut salutem simul Baptismo tribuat: λέγει δὲ καὶ η̄ γραφὴ ἐν τῷ Γεζενῆ: ὅτι εὖλοι οὐδένη Νοὲ καὶ Ιάβη καὶ Δανιὴλ, καὶ βύσονται τὰ τέκνα αὐτῶν ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ: εἰ δὲ καὶ οἱ τοιετοὶ δικαιοὶ καὶ δύνανται τὰς αὐτῶν δικαιοσύνας βύσασθαι τὰ τέκνα αὐτῶν, η̄μεις εὖλοι τηρήσωμεν τὸ Βάπτισμα ἀγνὸν καὶ αἵματον, ποίησις πεποιθήσει εἰσελευσόμεδα εἰς τὸ Βασίλειον τῆς Θεᾶς: dicit vero etiam Scriptura in Ezechiele: Si resurgent Noë et Iob et Daniel, non liberabunt filios suos a captivitate: se ergo etiam tales iusti non possunt suis iustitiis filios suos liberare, nos, nisi seruauerimus Baptisma castum et immaculatum, (p) quanam confidentia in-

(p) phrasin: τὸ Βάπτισμα, seu σφραγίδα τηρεῖν, non excludere poenitentiam lapsorum ex §. 8. et 9. perspicitur.



grediemur in regnum Dei? Iam ex apertis hisce locis recte, ut  
puto, argumentamur: quicunque infantes impuros coram  
Deo pronuntiat, eosdemque parentum suorum sanctitate iu-  
stificari posse diserte negat; porro omnes ab initio per solam  
fidem a Deo datam in Christo Iesu dicit iustificari; denique  
fidem istam per Baptismum dari adfirmat: ille vel baptizan-  
dos Christianorum liberos existimat, vel aeternis eos addicit  
suppliciis, quod omnium sane iudicio apostolico doctore  
prorsus indignum foret. Dum vero parentum sanctitati Ba-  
ptismum opponit, vnicam caeteroquin ad salutem viam,  
per fidem nempe in Christo Iesu, quam Dei donum nun-  
cupat, agnoscens: nihil vtique clarius est, quam quod fi-  
dem istam Baptismo infantibus obtingere statuat; maxime  
cum fidem non a pietate tantum et operibus nostris, sed ab  
intelligentia quoque distinguat. Rationem vero qua usus est  
demonstrandi, in medio relinquimus.

### THESIS X.

#### Infantes per Baptismum fide donantur.

**H**uic veritati quam ipsa infert Baptismi denominatio qua *re-*  
*generationis* lauacrum dicitur, Tit. III. 5. dilucide iam euo-  
luta, nihil quicquam opponi potest quam quod nemo mor-  
talium de modo huiusc operationis claram distinctamque  
sibi formare possit ideam. Verum enim vero, cum ne um-  
bra quidem contradictionis hic adpareat, rationis impoten-  
tiae recte obuertimus evidentiam revelationis; maxime  
cum manifesta in promptu sint exempla: Ioannes in utero  
matris fidem suam insigni declarauit indicio; singularis haec  
fuit gratia, citra sacramentum, immo ante nativitatem ipsi  
collata; at nobis tamen clarissimo documento est, per in-

C 2 co-



cognitam Spiritus S. operationem fieri vtique posse vt infantes in Christum credant, immo paruulos, per circumcidionem regenitos, in Christum credidisse, ipsem diserte adfirmauit Matth. XIIIX. 6. (q) Marc. IX. 42. indeoles quidem huiusc fidei dilucide explicari nequit; sed potest vtique Deum, cum infinita redundantia facere, supra ea quae mente concipiuntur, nata τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργεμένην εὐ ιημ. Eph. III. 20. (r)

## THESES XI.

Adulti collata demum fide baptizandi sunt.

**C**orinthii aliique fideles, qui maximam partem ea acetate quae rationis usum admittit baptizati fuerant, non Baptismo sed verbo dicuntur regeniti, 1. Cor. IV. 15. 1. Pet. I. 23. Iac.

(q) Mennonitae, vt per INFANTES *in firmos in fide* hic denotari ostendant, infantibus scandalum dari haud posse inde probare conantur, quod peccare nequeant, cum quodlibet peccatum pro fundamento habeat litteralem legis notitiam; vid. *Grondig Bewys tegen den Kinderdoop* Amst. 1693. p. 95. seq. verum hoc gratis ab ipsis dicitur, et ἀτρεπτοῦς, Ioannes certe aliam dedit descriptionem peccati: η ἀμαρτία εἰσὶν η ἀρρωτα 1. ep. III. 4. Weinmannus tres scriptit *Disputationes de fide infantum baptizatorum vera et actuali, Anabaptistis, Pontificis, Calvinianis et Photinianis oppositas* a. 1667. seqq. et Gottfr. Voigt *Exerc. Theol. de fide infantum baptizatorum*, Witteb. 1666.

(r) Hermannus Schyn in *Historia Christianorum qui Mennonitae appellantur* p. 84. plane, inquit, *ineptum est externa quadam ceremonia supernaturalem virtutem, et quidem momento temporis in anima produci.* Sed Deum omnipotentem esse ipsa docet ratio, proinde *ineptum* potius, et recte quidem existimamus, eiusmodi sententiam nobis obtrudere vbi rationibus et argumentis opus est.



Iac. I. 18. Ioannes ad Baptismum non admisit adultos, nisi declarata prius mente de emendanda vita sollicita, Matth. III. 2. seq. et Petrus auditores suos, cordibus per verbum commotus et quid sibi factu nunc opus esset interrogantes, primum resipiscere iussit, deinde baptizari, Act. II. 38. Philippus denique Diaconus Praefectum Candaceae tum demum baptizari posse existimauit, si toto animo crederet, Act. VIII. 36. seq. Neque praetermittenda hic est elegantissima Pauli allegoria, qua praedicationem plantationem nuncupauit, Baptismum vero RIGATIONEM, 1. Cor. III. 6. 7. ego plantavi, Apollos rigauit, conf. cap. I. 14. 15. 16.

## THESIS XII.

Adultis per Baptismum fides in Christum confirmatur.

Paulus ad Tit. III. 5. Baptismum non tantum regenerationis, sed RENOVATIONIS etiam lauacrum nominauit; regenerationis adultis ante Baptismum per verbi potentiam obtinet, siquidem ipsa, ut diximus, productio fidei regenerationem uno eodemque momento perfectam sistit, omnibusque numeris absolutam: proinde Baptismus intuitu adultorum, utpote qui nisi fide iam praediti, atque adeo regeniti sint, ad Baptismum haud quamquam admittendi sunt, regenerationis lauacrum dici nequit. Propterea alteram, quae hic exstat, denominationem illum cum maxime effectum inferre, qui in adultis consequitur, ab omni dubio rematum arbitror. Et renovationem certe, ex diuina gratia, accedente a parte fidelium, per sincerum eiusdem usum, enixo studio et exercitatione, per totam eorundem vitam maiora semper incrementa capere, ex seriis grauissimisque Apostolorum

C 3

lorum



lorum admonitionibus longe manifestissimum est. Cum vero *renouatio*, quatenus a Deo proficiscitur, confirmationem et coauctorionem importet virium gratiae, quas altero fidei actu consequimur, *renouationem* hic, ut opinor, haud inconcinne fidei nominamus *confirmationem*. Porro, cum in viribus hisce gratiae, et primo utique loco, censenda sit plenior illa conscientiae tranquillitas, quae παρένσια et πληρότης πίστεως nuncupatur, adultis etiam Baptismo remissionem peccatorum conferri legitur Marci I. 4. Luc. III. 3. Act. II. 38. XXII. 16. I. Cor. VI. 11. Col. II. 13. sed hoc tantum sensu, quod confirmata fide de remissione peccatorum, ante Baptismum nempe facta, longe certissimi reddantur. Ipsa videlicet remissio peccatorum, siue iustificatio, fidem divinitus excitatam protinus consequitur, ordinisque duntaxat ratione prior censetur pace et tranquillitate conscientiae, quippe quae nihil est aliud, quam peractae iustificationis declaratio. Idcirco Petrus, ubi negat *carnis purgationem* finem esse diuini huiusc lauacri, non quidem per directam oppositionem *animae purgationem* siue peccatorum ablutionem substituit, sed conscientiae potius παρένσιαν, I. ep. III. 21. τυνειδήστεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν διὰ ἀνασάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ ὃς εἶναι ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. ἐπερώτημα nempe παρένσιας in Deo, quippe quod ex conscientia, Christi resurrectione ut oportet fulta, proficiunt Paulus nos condocet Rom. VIII. 32. 33. seq. itemque I. Cor. XV. 55. τίς ἐγκαλέσει πατὴρ ἐκλεκτῶν θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαῖων. τίς ὁ παταρίνων; χριστὸς ὁ ἀποδανῶν, ΜΑΛΛΟΝ δὲ καὶ ΕΓΕΡΘΕΙΣ, ὃς καὶ εἶναι ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. Πᾶς σὺ, θάνατε, τὸ κέντρον; πᾶς σὺ, ἄδη, τὸ νηὸς; τὸ δὲ κέντρον τῆς θανάτου η̄ ΑΜΑΡΤΙΑ. Denique cum fundamentum coauctorionis virium gratiae arctior sit vincio cum Seruatore, quam scilicet fidei confirmatio cum primis importat, eadem sane fidei con-



confirmatio intelligitur, quando Romani dicuntur *in mortem Christi baptizati, immo sepulti cum ipso per Baptismum, ut σύμφυτοι τῆς ἀναστάσεως*, quoad veterem quidem hominem crucifixi, deficiente corpore peccati cum Christo viuerent Rom. VI. 3 - - 11. Galatae vero *Christum induisse per Baptismum* cap. III. 27. Colossenses denique per Baptismum circumcisi et conseulti et resuscitati cum Christo, Cap. II. 11. 12. id quod ipsa etiam actio immersionis ex parte repreäsentauit.

### THESES XIII.

**Qui baptizantur in foedus gratiae a Deo recipiuntur.**

Circumcisionis finem fuisse receptionem in foedus gratiae ex ipsa eius institutione Genes. XVII. 7. 1<sup>o</sup>. omnibus notum est, eundem itaque Baptismi finem esse inde adparet quod Baptismus in locum circumcisionis successerit Col. II. 11. Clarius vero Paulus hac de receptione locutus est ad Galatas III. 25. seqq. vbi baptizatos ita *Christum induisse* adfirmavit, *ut omnes sint VNVS in Christo Iesu, et Abrahami idcirco semen, et secundum promissionem* (Abrahamo nempe, intuitu singularis sive vniuersitatis seminis, factam, quo nomine Christum denotatum dixerat comm. 16) haeredes. Etenim enim omnis quae ad hoc foedus pertinet promissio Christo facta sit, in propatulo est, illos demum huiusc foederis participes reddi, qui cum Christo ita vniuntur, *ut unus cum ipso dici queant*; cum itaque Paulus huiuscmodi vnitatem Baptismo fieri doceat, sponte sua sequitur, ex eiusdem sententia Baptismum receptionem inferre in foedus gratiae cum mediatore generis humani percussum. Sed receptio in foedus gratiae praeter adoptionem diuinam, Spiritumque *ὑιοθεσίας*, ius



ius quoque haereditarium ad aeternae salutis gloriam, proindeque ipsam etiam salutem aeternam, ea videlicet quae aliunde nota est conditione, importat. Tit. III. 7.

## THESIS XIV.

Efficacia Baptismi per totam vitam sese extendit.

**F**oedus; cuius per Baptismum participes reddimur, non humanum sed diuinum est; Dei autem χαρίσματα sunt ἀμεταμέλητα Rom. XI. 21. idcirco Petrus, quantumuis post grauissimum lapsum, suam tamen haud minus quam aliorum fidelium salutem, ex Baptismo repetit 1. ep. III. 21. Ceterum fidelibus Baptismum, quoad renouationis gratiam, per totam vitam prodesse, ex iis quae ad Thesin XII. differimus, satis abunde cognoscitur.

## SECTIO II.

HISTORIAM HVIVSCE DOCTRINAE AD APOSTOLORVM VSQVE EXCESSVM PERSTRINGENS.

### §. I.

**C**oelestis quam hactenus exposui veritas; cum maximi vtique momenti, et quoad praecipua saltem capita sua omnino in fundamentalibus censenda veniat, nullum quidem dubium est, quin ab infernali genii liuore et malevolentia varia et multiformi excepta sit lacesitione; idonea tamen probatione deficiuntur, qui primam eius, apertam quidem, adgressionem ab ipso ministerii Ioannei repetunt initio. Matthaei nituntur relatione: Pharisaeos et Sadduceos



caeos, ad Baptismum Ioannis (ἐπὶ τὸ βάπτισμα) accessisse, cap. III. 7. haec namque verba non aliam admittere contendunt interpretationem, quam qua particula ἐπὶ idem valeat ac contra, proindeque Pharisei et Sadducei Baptismo Ioannis sese opposuisse dicantur. Sed argumenta, quibus necessitatem durioris huiusce translationis ostendere et euincere se credunt, communiori graecae phraseos significationi, et commodiori quae inde resultat interpretationi, nequicquam aduersantur. Dum enim vel ad Lucae prouocant adsertionem, qua Phariseos diuinum hocce consilium, ad ipsos pertinens, reieciſſe auctor est, cap. III. 30. vel subiectam seueram Ioannis increpationem seriamque poenitentiae commendationem cauſſantur, receptam tantummodo expositionem, Phariseos nimirum et Sadduceos eo animo accessisse, vt et ipsi Baptismum fūſciperent, infringunt et deſtruunt; verum nihil quicquam indicant, quod impedimento fit, quo minus speclatum duntaxat, animoque sciendi tantum quid noui hic ageretur cupido et curioso, adueniſſe censeantur; siquidem haec ſententia, praeterquam quod verbis Euangelistae exacte repondeat, ſubsequentis etiam reprehensionis claram iuſtamque ſuppeditat rationem.

## §. II.

Primum itaque impetum ipſa ſuſtinuit diuina Baptiſti institutio, ſed ſpecioſo examiniſ titulo diſſimulatum, cum ſexto vel ſeptimo demum mene officii Ioannei, delegati a Synedrio Sacerdotes et Leuitae propalam interrogarent: quanam tandem auſtoritate noua haecce religionis diſciplina introferretur? Io. I. 24. f. Evidem doctiſſimi plerique interpretes laudabile hic agnoscunt veritatis ſtudium, vel curam faltem patribus et magiſtriſ populi diuini apprime dignam;

D

im-



immo sunt qui Christum de hac ipsa legatione loqui, men-  
temque adeo mittentium detegere autem, ubi dicit: *quod exsultare voluerint ad horam in luce Ioannis* Io. V. 35. Verum  
enim, si remota honorifica sed fallaci specie rem ipsam pe-  
nitius consideramus curatiusque expendimus, nefaria vtique  
deprehendimus, et introspicimus consilia, ex incitato et ar-  
dentissimo veritatis odio profecta, et ad dignitatem iustum  
que existimationem diuinissimi huiusc mysterii, quoad eius  
quidem fieri posset, infringendam et extinguendam, haud  
perfunditorie directa. Seruatoris autem verba, quae dubium  
hic mouent, de multitudinis duntaxat opinione et confluxu  
accienda sunt.

## §. III.

Quodsi operosa vti vellem demonstratione, haud qua-  
quam praetermittendum foret quod ipsemet Euangelista no-  
ratu vel maxime dignum et necessarium existimauit: lega-  
tos *ex Phariseis* fuisse desumtos, sempiternis videlicet pra-  
cipuisque Baptismi Ioannei hostibus Luc. VII. 30. Matth.  
XXI. 25. Marc. XI. 31. Luc. XX. 5. Sed ipsae, puto, inter-  
rogationes summam propositi malignitatem sufficienti ratio-  
ne patefaciunt et omnino illustrant. Simpliciter quidem et  
apertis verbis sciscitari, vtrum Christi personam sibi arroga-  
ret, idem fuisset ac indignissimam adsimulare ignorantiam  
et stupiditatem; siquidem interpretes Scripturae et magistros  
in Israel, de singularibus hominis, ab aliquo iam tempore  
omnium sermone celebrati, vel rumore indisimulabili  
nuntio edoctos, praeterire neutiquam poterat, certe minime  
omnium debebat, praeter luculentam confessionem, qua  
ipsemet minorem se dixerat *Venturo* Luc. III. 16. natales etiam  
et prosapiam sacerdotalem omnino ipsi obstat, quo minus

Chri-



Christum se esse intenderet: nihilominus tamen primam interrogationem suam, cuius quidem summa fuit: *oὐτὶς δέ;* pessimō dolo ita formabant, vt modestiam sanctissimi viri impense simul sollicitarent. Enim uero non ex responsione tantum Baptiste, sed ex Euangelistae quoque phrasē: *καὶ ἀμολόγησε, καὶ ἐπὶ ἡρνήσατο, καὶ ἀμολόγησε,* vt mea fert opinio, clarissime perspicitur, primam hancce quaestione mē tertia admodum instantia iteratam esse, aliis videlicet aliisque, quod proclive iudicatu est, implicata et inuolutam lenociniis friuolisque cauſationibus ad apertissima haecce obstacula vel eleuanda, vel saltem extenuanda, audaciamque hoc pacto prouocandam versutae captionis artificio comparatis atque digestis. Praeterquam enim quod nulla hic opus fuisset negatione, si absque huiuscemodi adiunctione simpliciter tantum interrogassent: *Tu quis es?* singularis etiam, qua Euangelista hic usus est, repetitionis: *et confessus est, et non negauit, et confessus est,* non aliam cauſam peruideo, quam iterationem responsionis, quaestione nempe instantia expressam et extortam. Non sum nescius scriptoribus diuinis, et Ioanni cum maxime, receptum esse, quod adfirmarunt oppositi negatione vel explicare vel fortius adserere; hic vero, quod prorsus singulare et significantissimum idcirco censendum est, non affirmationi tantum negatio, sed negationi rursus eadem subiicitur adfirmatio. Sed quomodo dedicatiuo, quod tantopere flagitarunt, responso uti tandem voluissent, altera tertiaque percontatione satis abundeque prodiderunt. Etenim cum per Eliam sine dubio Tisbitten, per Prophetam vero Prophetarum designarint principem, ex Mosaica praecellentia cognoscendum, quem ipsi quidem perperam diuersum a Christo exspectarunt; proinde utriusque haud minus quam Christi persona, miraculorum illico demon-

D 2

stran-



stranda fuisse potentia, siquidem et Moses et Elias eminentissima miraculorum gloria cum maxime inclaruere, Ioannes autem nulla patrauerit miracula, Io. X. 41. haud vana suspicione, sed firmo vtique iudicio colligitur, legatos Synedrii, cuius profectio aliunde notissima est malitia, illud in primis efficere debuisse, vt vele expugnata tandem modestia, vel per imprudentiam saltem, eiusmodi titulum auctoritatis sibi adscisceret, quem deficiente necessaria probatione sustinere et tueri nullo modo potuisset; hoc namque pacto ipsem nouam suam actionem, cuius quippe existimatio ex administrantis haec tenus penderat dignitate, turpiter dedisset, omniumque nisi ludibrio, contemtui tamen, propinasset. Clarissimum vero et omnino certissimum malignitatis infensique animi sui indicium, hoc tandem proposito deieci, postrema quaestione exhibuerunt omniumque exposuerunt oculis: *cur ergo baptizas, si neque Christus es, neque Elias, neque Propheta?* Ioannes sane ad quartam ipsorum sciscitationem, indefinite tandem conceptam, singularis officii sui auctoritatisque rationem illustri Esiae vaticinio patefecerat, et quadam tenus confirmarat; legati igitur aut omnino fuerunt plumbei, quod quidem verosimile haud videtur, aut suarum illico perspexerunt partium, luculentissimi huiuscce adserti, quippe quod omnium actionum, officii haec tenus causa susceptarum, proindeque Baptisini cumpromis diuinam rationem quam apertissime importabat, ultiorem exigere declarationem: At enim uero eiusmodi hoc erat adserendum, vt sine miraculis planum id facere, et ante omnium oculos liquidissime potuisset demonstrare; per veteroriam idcirco nequitiam caput hoc causae, vel pueris perspicuum, occupata et superuacanea interrogatione: *quam ergo auctoritate baptizas?* vafermo insuper artificio sententiae in modum formata, non tantum praetermittunt, sed



sed tanquam iudices, ne flocci quidem censendum impudentissime pronuntiant: vt scilicet existimationem saltem diuinæ actionis, quam ipsam aperta via impetere et dissoluere haud sustinebant, occulto fraudulentí examinis tramite, auctoritatisque praejudicio, apud imperitam mobilemque multitudinem infringenter et eleuarent.

## §. IV.

In cassum haec cecidisse consilia tamque prorsus vana fuisse quam impia et detestanda, cuilibet, nisi fallor, euidentissimum est; quam apte vero Ioannes auctoritatis suae indolem exposuerit, omnique iuxta dubio, auditorum forte mentibus injecto, satisfecerit, non perinde apertum est, sed interpretum potius opera tectum et quadantenus inuolutum. Repte pridem nostrates Pontificiorum contradixerunt expositioni, qua postremam Ioannis responsionem ad confirmandum errorem suum, Ioannis hanc actionem omni supernaturali effectu caruisse, proindeque ab ea quae Sacramentum nobis dicitur, substantiam diuersam fuisse, temere, vt consueverunt, abripiunt, eamque vel vnico Scripturae adserto, quo Ioannis haecce disciplina *Baptismus resipiscientiae* dicitur in remissionem peccatorum, omnino disiecerunt: verum eiusmodi rursus communi fere calculo probarunt ornandamque sumserunt interpretationem, quae, vt ingenue fatear, praeterquam quod textus cohaerentiae non vsque quoque respondeat, aliorumque locorum euidentia valde graviter premitur, scholasticam potius redolet subtilitatem, quam heroicam diuini hujuscē legati, qua Eliam omnino retulit, gravitatem. Eam indicō explanationem qua verba Joannis: *Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum stetit etc.* quae quidem vtique ad notissimam oppositionem, *ille spiritu baptizabit,* remittunt distinctionem importare censemunt, inter exter-

D 3

num



num aquae Baptismum, et internum Baptismum Spiritus cum eodem concurrentem; perinde ac si dixisset: *Ego nihil aliud hic facio quam quod a quo quis mortalium profici sci potest, siquidem supernaturalis actionis meae efficacia a Christo est; ille namque, dum ego aqua baptizo, Spiritu S. vos baptizabit: proinde ex diuina Baptismi mei virtute haud quaquam consequitur, quod persuasum hactenus habetis, vel Christum me esse, vel Eliam, vel Prophetam.* Honoris enim causa delegatos existimant Phariseos, qui hanc tuentur interpretationem.

## §. V.

Verum ipsi quodammodo fatentur, subtilem hanc distinctionem neque ad interrogationem neque ad mentem Phariseorum quadrare, proindeque ab hoc loco pro�us alienam esse, dum responsonem Ioannis ita adornatam dicunt, ut directe ipsis haud satisfecerit, quomodo vero indirecte, hoc quidem sensu, satisfecisse censenda sit, data opera idoneisque rationibus illustrare non adgrediuntur. Nous dicunt, comparatione docere voluit aquae Baptismum Christo nequicquam praeiudicare, et perperam inter notas ipsius ponit; recte sane, sed fieri id potuit, factumque, ut arbitrator, sine obscura eiusmodi distinctione: immo, ecquis est qui neruum perspiciat huiusc consequentiae: *Ego minorum me dico Messia, nihilque praeter externam Baptismi actionem mihi adscivo; ergo vos aquae Baptismum perperam inter notas Messiae posuistis.* Sed Phariseos agnouisse existimant supernaturales Baptismi effectus, indeque confessi, ipsum utique Christum sub nomine et persona Ioannis se se occultare; mihi vero ex postrema eorundem interrogatione planum videtur, Phariseos diuinam Baptismi virtutem neutiquam agnouisse; siquidem verbis: *cur ergo baptizas?*



zas? exquirunt, vtrum diuina an humana tantum auctoritate nouam hanc disciplinam introduxisset; cum tamen ex diuina virtute huiusc actionis ad diuinam eius institutionem prona ipsis fuisse consecutio; furoris vero dedissent indicium si friuola hac interrogatione significare voluissent, nemini, nisi Christo, Eliae et Prophetac, licere supernaturales in mentibus mortalium producere effectus.

## §. VI.

Sed rem omnem plane conficiunt, et de genuino huiusc responsionis sensu longe certissimos nos reddunt clariora Scripturae loca, quae eandem fistunt oppositionem. Act. I. 4. ipse Seruator, caelos iam iam adscensurus, iisdem usus est verbis, vt discipulis suis promissionem Patris, quam Hierosolymis ipsis iusserrat opperiri, explanaret et quodammodo illustraret: *Ioannes enim baptizauit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies;* et Petrus dicit Act. XI. 16. *cum Spiritus S. in familiam Cornelii non fecerit ac in ipsos Apostolos illapsus fuisse,* in mentem sibi venisse dicti illius Domini: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos vero baptizabimini Spiritu S.* Inde profecto euidentissimum est, in eiusmodi oppositione *Baptismum aquae non solam denotare externam ablutionem, sed ipsum potius regenerationis et renouationis, quod nuncupamus, Sacramentum;* *Spiritus autem Baptismum nihil aliud inferre, quam singularem istam exaltati Seruatoris actionem, qua, nullo interueniente naturali elemento, ipsum sanctissimum Spiritum ad extraordinaria charismata, quae Apostolorum aeuo Ecclesiam cummaxime ornarunt, ex promissione Patris, copiosissime effudit.* B. quidem Gottfridus Olearius, vt priorem locum receptae verborum Ioannis interpretationi haud' quaquam refragari

dcs



doceret, Seruatoris praedictionem ita dilatauit: *Ioannes quidem, ut causa ministerialis, praesitit quod suum est, aqua vos baptizando, ita ut, si sensum standum iudicio sit, nihil hic praeter aquam reprehendere liceat; nunc vero sensibus ipsis patet, quam verum sit id quod ille ostendit, Baptismum Spiritus esse mea virtute, qui aqua extrinsecus ab ipso peragebatur, iam enim sensibili Spiritus a me misi Baptismo baptizabimini, in Observationibus ad Matthacum p. 572.* At haec certe paraphrasis non tantum dura est et quodammodo violenta, sed Petri etiam luculentissimis verbis accommodari prorsus nequit; siquidem Petrus ex Seruatoris promissione infert: *Spiritus Baptismum ex maiori gratia profici, proindeque Spiritu baptizatos, aquae Baptismo neutquam indignos fuisse censendos.*

## §. VII.

Reducto verborum sensu perexpeditum iam puto quam apte iisdem aduersariorum represserit calumniam. Baptismi non minus quam officii sui diuinam rationem luculento Esiae vaticinio adstruxerat: *ego vox clamantis: in deserto hoc dirigite viam Domini sicut dixit Esias Prophetas; cap. XL. 3.* Sed legati nihilominus, ut imperitis saltem scrupulum iniicerent, superuacanea interrogatione: *cur ergo baptizas? cum neque Christus sis, neque Elias, neque Prophetas; haud obscure significauerant: baptizare, ex Synedrii sententia, proprium esse Messiae;* *Ioannis igitur actionem ex humano tantum consilio profectam, atque adeo prorsus inanem esse: maxime, cum ne Eliam quidem vel Prophetam se dicere sustineret.* *Huic igitur iniuriae dilucidam obuertit actionis suae declarationem, omniumque ante oculos exponit, Pharisaeos iniquissimo iudicio summa hic imis et mare coelo miscuisse.* *Ego, legatus Dei, Esiae vatis praedictione promissus,*

bapti-



baptizo, sed aqua, certe Pharisei sola aqua me censem baptizare, alioqui, si diuinam disciplinae meae virtutem agnoscerent, diuinam eius originem, non sine insigni absurditatis nota, inficiarentur; sed aqua tamen baptizo, siquidem ad diuinissimos effectus producendos externum illud adhibeo elementum. Pharisei Baptismum in notis Messiae numerandum contendunt, & recte sane, notissimo namque Iōelis vaticinio praeditum est, fore, ut Messias gratiosam quandam effusionem perficiat, eademque proinde dignoscatur: *Scietis quod in medio Israēl ego --- & effundam &c.* Iōel. II. 27. 28. Sed aduersarii, dum inde conficiunt & audacter pronuntiant, Baptismum aquae iniussu Dei a me introduci, vocabuli abutuntur ambiguitate: Messias enim spiritu baptizabit, seu ut ipsa Iōelis verba habent: *spiritum effundet;* nulla hic mentio est aquae vel interuenientis cuiusdam externi elementi; ipso itaque spiritu baptizabit; haec est singularis illa, & quam sibi soli reseruauit actio, proindeque nota eius charactistica; ego vero aqua baptizo: aliud est aquae Baptismo Spiritum S. ad ordinaria dona conferre, aliud *ipso spiritu* baptizare. Et certe quemadmodum per Prophetam *Dominum Deumque* se nuncupauit, et dixit: *scietis, quod in medio Israēl ego;* ita in medio vestrum iam constitit, quem vos non nostis etc. Tam plana & perspicua defensione et Phariseos elingues factos, et multitudinem in agnita veritate confirmatam esse nemo fortasse mirabitur.

### §. VIII.

Exiguo temporis intericto spatio, cum Ioannes Ānone prope Salim baptizaret, Iesus autem in Iudea, per discipulos suos, eadem opera, sed maiori successu perfungeretur, discipuli Ioannis, posita Iudeis quibusdam quaestione de purificati-

E

rifi-



*rificatione*, nouam prouocarunt controversiam: utriusnam Baptismi maior censenda esset dignitas? Io. III. 22. seq. IV. 1. Ipsum quidem argumentum huiuse disquisitionis non ediscertatum est; ex cohaerentia tamen recensionis haud obscurae intelligitur: discipulos Joannis, ut Magistri sui disciplinam commendarent, iudaicam quandam purificationem, Phariseorum fortasse hemerobaptismum, haud contemnendis obiectionibus impugnasse; Iudeos vero, argumentis ipsorum in medio relictis, Joannis vicissim Baptismum in contemptum adduxisse: quod ille iam ab aliquo tempore in Iudea baptizaret, quem ipsemet Ioannes propalam insigni honorauerit supremae dignitatis & praeeminentiae testimonio; autores denique disputationis, ipsa quidem controversia suppressa, de novo hocce nuntio eum in modum ad Magistrum retulisse, ut occultam simul aperuerint inuidiam. Sed ad clariora & momentosiora progredior.

## §. IX.

Post gloriosissimam Seruatoris ascensionem plerique omnes nascentis Ecclesiae christianaee fideles, et in his ipsis Petrus Apostolus, vniuersalem Baptismi gratiam ad tolos primum retulerunt circumcisos. Petrus certe coelesti demum visione, Act. X. 9. seq. descripta, et specialissimo Spiritus mandato v. 19. 20. diuinitus se fatetur edoctum: ne quem hominem pollutum aut impurum nuncuparet, v. 28. & Cornelii deinceps relatione insigniter hanc in rem confirmatum, v. 34. 35. *reipsa comporio, Deum non habere personarum rationem, sed in quauis gente acceptum ei esse, qui eum timeat & exerceat iustitiam;* immo, ratione, quam mandato suo de baptizanda Cornelii familia praemittendam duxit, aperie significauit, ne tot quidem tantisque indicis, nisi noua ac-



cessisset patefactio, clarum et omnino exploratum sibi fuisse, utrum fidei expositionem salutaris hic etiam excipere debuisset ablutio: *num quis aquam prohibere potest, quominus baptizentur isti, qui Spiritum S. acceperunt sicut et nos?* v. 47. Eodem errore reliquos etiam christianos illis quidem temporibus laborasse, vel inde adparet, quod Hierosolymitani ex circumcisione fideles altercati cum Petro, dixerunt: *ad viros praeputium habentes introiusti, et comedisti cum eis,* cap. XI. 2. 3. et eadem demum argumentatione, ab ampliori nempe gratia ad ordinariam deducta, de diuina voluntate certiores facti, quieuerunt, Deumque glorificauerunt, dicendo: *ergo Deus gentibus quoque respicientiam dedit ad vitam,* v. 18.

## §. X.

Rem ipsam, de qua Petrus hic dubitauit, haud leuis momenti fuisse ex ipso modo quo rectiora edocitus est quilibet intelligit; illorum tamen sententiae subscribere nequeo, qui Petrum simpliciter dubitasse autumant, utrum gentiles ad consortium Euangeli admittendi sint, nec ne? apud Lucam certe ne minimum quidem indicium quod probabilem hanc reddat suspicionem reprehendimus; neque perspicio quomodo Petrus de gentilium Baptismo simpliciter et sine villa exceptione ambigere potuerit, cum disertis Seruatoris verbis *omnes gentes* haud pridem iussus fuerit et docere et baptizare, Matth. XXIX. 19. Nihil profecto clarius dici potuisset, immo sunt qui per τὰ ἑδύν solos intelligi statuunt gentiles; (\*) Apostolum vero huius citius mandati, quam proprii nominis, oblitum esse nemo facile crediderit: an ergo Petrus primique christiani eiusmodi sensum illi subiecerunt,

E 2

quo

(\*) Altingius T. VI. Opp. p. 143.



quo neque gratiae diuinæ neque Baptismi inferre et confirmare potuit vniuersalitatem? at hoc sane nobis, qui in clas-  
sicis illud censemus probationibus, minime concedendum  
est. Rectius itaque Petrum ad illorum adscribimus numero-  
rum, qui gentiles quidem omnino ad institutionem evan-  
gelicam fideique consortium admittendos agnouerunt, sed  
circumcisionem demum aditum ad hanc gratiam patefacere,  
atque adeo gentilibus haud minus quam Iudeis, praepara-  
tionis et legalis cuiusdam purificationis causa, necessariam  
existimarunt. Inde vero proclue simul iudicatu est, Ioan-  
nem aequæ ac Christi discipulos non nisi circumcisos tinxisse,  
cum caeteroquin vel sola exemplorum recordatio omnem  
hic sistere potuisset fluctuationem. Caeterum nihil omnino  
agunt, qui hac ipsa dubitatione Apostolorum in docendo in-  
fallibilitatem euertere annituntur; quamuis enim fieri pror-  
sus potuerit, ut ipsi nonnunquam hac vel illa de re dubita-  
rent; ex Christi tamen promissione aliisque clarissimis argu-  
mentis notum et manifestum est, *qualibet hora*, quæ neces-  
sitatem dicendi secum tulit, *diuinitus ipsis datum fuisse quid*  
*et quomodo loquerentur*, Matth. X. 19. idcirco doctrina ipso-  
rum a veritate nunquam potuit aberrare. Sunt, qui *practicos*  
ipsorum errores agnoscent, *theoreticos* autem, post Spiritus  
S. effusionem, prorsus infitiantur; sed vtrum haec distincio  
hanc ipsam saltem exceptionem de qua cummaxime loqui-  
mur, respuat, vehementer dubito; sufficit, quod explora-  
tum habeamus, Apostolos haud minus quam Prophetas, in  
qualibet officii execucione ab omni errandi periculo quam  
longissime fuisse remotos.

## §. XI.

Momentosior, et omnino fundamentalis, illorum fuit  
error qui ipsis fidelibus et baptizatis Antiochenis necessaria-  
tem



tem imposuerunt circumcisionis, magnisque tandem turbis excitatis occasionem dederunt concilio Hierosolymitano; illi namque ipsum simul adgressi sunt Baptismum dum docuerunt, fratres, nisi circumcidarentur ritu Mosis, non posse seruari, Act. XV. 21. Non negarunt Baptismum praeputialis rite fuisse collatum, sed salutarem eiusdem effectum impugnabant, et tantum non disertis verbis inficiati sunt: nescio enim quo pacto negare potuissent, baptizatos, nisi praeputium ponerent, saluos fieri, si Baptismum, cuius videlicet iterationem haud flagitarunt, salutem inferre omnino agnouissent; sed non solam vrserunt circumcisionem, verum legis etiam, moralis haud minus quam caeremonialis, obseruantiam necessariam dixerunt ad salutem, id quod ex comm. 24. et Petri verbis, quibus legem, cuius caussam turbatores egerunt, iugum nuncupat, *quod portari plane non posse*, comm. 10. manifestum est. Non quidem supernaturalem Baptismi efficaciam in controversiam vocarunt, sed doctrina de iustificatione per fidem impugnata, indirecte simul Baptismi dignitatem adgressi sunt; siquidem Baptismum remissionem peccatorum et salutem inferre dici prorsus nequit, vbi negatur per fidem, diuino hocce lauacro vel excitatam vel confirmatam, iustitiam coram Deo aeternaque tandem salutem donari.

## §. XII.

Orta statim seditione Paulus quidem et Barnabas magna disceptatione, et iniustis haud dubie argumentis, strenue id egerunt, vt errantes ad saniorem sententiam reuocarent, pacemque et tranquillitatem Ecclesiae restituerent; sed errori rursus inflexibilis aduersariorum peruvicacia tantam conciliavit speciem, vt plerique tandem Antiocheni incerto men-

E 3-

tis



tis iudicio fluctuantur. Turbulento hocce statu, et veritate tantum non penitus inuoluta, si non omnes, plerique certe statuerunt, ut Paulus et Barnabas et quidam alii ex illis, huius quæstionis caussa, Hierosolymam adscenderent ad Apostulos et Presbyteros. Deum huiusc consilii auctorem fuisse Paulus nos condocet, dum ad Galat. II. 2. ex reuelatione se dicit adscendisse; neque dubium est quin ipsi Paulo isthaec reuelatio obtigerit, ac proinde a Paulo propositum hoc fuerit consilium; non potuit tamen non ipsis etiam aduersariis probari, siquidem exploratum habuerunt Hierosolymitanam Ecclesiam, magna ex parte, eandem secum souere sententiam: immo veri simillimum est, per alios ex illis, qui cum Paulo et Barnaba, veritatis nempe defensoribus, ablegati dicuntur, ipsos alterius partis primipilos, erroris videlicet patronos, denotari. Et certe cum Paulus et Barnabas Ecclesiae Apostolis et Presbyteris ministerii sui inter exterias nationes successum vix ac ne vix quidem exposuissent, surrexerunt protinus qui ex Pharisæorum secta crediderunt, et dixerunt: oportere circumcidere illos (conuersos ex gentibus) et praecipere, ut obseruent legem Mosis. Sunt quidem qui haec verba non Lucae esse, sed a Paulo et Barnaba prolata credunt, proindeque ellipsis et transitionem hic statuunt ab obliqua oratione ad rectam; et sane eiusdemmodi ellipsis et transitio exstat Luc. XVI. 8. 9. neque perspicio cur doctissimi quidam interpretes particulam δε vel maxime huic expositiōni censeant aduersari, siquidem haec neutiquam obstat, quo minus ellipsis verbi addiderunt locum tueri posset, h. m. addiderunt: surrexerunt autem etc. Sed praeterquam quod haec sententia nullis nitatur rationibus, non desunt etiam, quibus receptam interpretationem tueamur, haud contemnenda indicia. Primo enim Antiocheni turbatores ex

III-



Iudaca tantum dicuntur descendisse v. 1. sed Hierosolymitani legis patroni Pharisaeorum adscripti leguntur familiae; deinde etiam longe probabilius est, disceptationis, quae v. 7. exorta legitur, autores v. 5. nominatos esse, quam silentio prorsus testos. Quidquid huius sit, ex hac ipsa saltem contentione, congregata demum Ecclesia exorta, palam est coetum Hierosolymitanum, paucis fortasse cum Apostolis exceptis, eodem grauissimo errore laborasse; quemadmodum etiam ex epistola, concilii deinceps nomine ad fratres ex gentibus perscripta, condiscimus, autores huiusc litis ex eadem Ecclesia prodiisse, v. 24.

### §. XIII.

Apostolis itaque et Presbyteris, immo fratribus quoque, quod ex v. 21. 23. colligitur, congregatis, post magnam disceptationem, Petrus tandem libertatem christianam luculentissima ratione vindicauit: *omnibus, quod diffiteri nequeant, satis abundeque notum esse, quemadmodum Deus ὁ καρδιογνώσης in aedibus Cornelii conuersis gentilibus, praevia sola fide, Spiritum S. dederit, aequa ac ipsis Apostolis, ad singularia et extraordinaria charismata; clarissimo videlicet testimonio, para iporum corda esse, sanctissimo nempe hospite neutiquam indigna, atque adeo sola fide purgata; et cum puritas coram facie diuina omnium consensu salutem importet: neque circumcisio nem, neque legis obseruantiam salutem inferre, sed fidem servare. Manifestum hocce signum diuinæ hanc in rem voluntatis adsperrnari, legisque nihilominus iugo conuersos ex gentibus subiucere, idem fore ac Deo necessitatem imponere, voluntatem suam, sufficienti ratione patefactam, novo indicio declarandi; illorumque adeo culpam commereret qui Deum dicantur tentare. Adfore nouum quod depositant signum, eoque certius quo maius haec.*



haec peruicacia momentum trahat, sed eo grauiori quoque cum animaduersione coniunctum: non de re nibili, sed de salute agi, non discipulorum tantum ex gentibus collectorum, sed omnium omnino mortalium; cum eam legem, cuius obseruantiam ad salutem necessariam dicant, neque Patres seruare potuerint, neque ipsi perfecta obedientia seruare queant: agnoscant igitur, Patribus ex eadem gratia Domini Iesu Christi salutem obligisse, qua seruari se credant omnes rectius de lege sentientes.

#### §. XIV.

Cum accurata et grauissima haecce demonstratio omnium illico mentes tanta perstrinxisset euidentia, vt ipsi etiam legis consulti intra silentium se continerent, et vniuersa multitudine Barnabam Paulumque auscultasset, denarrantes, quanta Deus signa et miracula per ipsos apud exterios edidisset; Iacobus gentilium conuersionem, cuius Petrus primum se dixerat ministrum, diuina oraculi auctoritate roborauit, eademque opera Baptismi salutarem effectum, implicite vt diximus impugnatum, haud obscure confirmauit: *Huic consonant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post haec renuerterei reficiam collapsum Davidis tabernaculum eiusque ruinas restaurabo et erigam illud, ut reliqui homines requirant Dominum, et omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum; dicit Dominus qui facit haec omnia.* Exstat hoc vaticinium apud Amosum cap. IX. 11. 12. sed ita, vt textus originalis et graecae quae hic legitur interpretationis, primo quidem intuitu, haud leuis momenti adpareat differentia, maxime posteriori commate ubi versionem τῶν ὁ secutus (nisi quod praeter particulam ἄν, τὸν κύριον addiderit) verba Hebraea: לְמַן יָרֹשׁו אֶחָד שָׂרִית אֲרוֹן ut haereditatem consequantur cum reliquis Edom, ita reddidit: ἐπως ἐκζητήσωσιν οἱ κατά-



τάλοισοι τῶν ἀνθρώπων. Valde probabilis illorum mihi videtur sententia, qui inde natam hanc autumant dissimilitudinem, quod interpres pro יְהוָה legerit i. e. *quaerent et pro אֶדוֹם Edom homines*; non, quod vel translatorem corrupto usum censem codice, vel textum originalem deinceps deprauatum esse Pezronio et Whistono concedam; sed longe saniorem ob causam, quae ad aliorum etiam locorum differentiam commode nonnunquam applicari, variisque difficultatibus, quae viris doctis multum laboris facessunt, egregiam adfundere potest lucem. Me scilicet opinione translatio quae LXX. interpretum dicitur, Vossio quidem perperam θεότωνευσος visa, non sine singulari tamen directione diuinæ prouidentiae adornata est. Fieri certe non potuit quin Deus praeuideret, fore, ut hac deinceps versione, non tantum praecipua et maxima pars iudeicae gentis, sed noui etiam testamenti doctores, prima quidem aetate vterentur, eiusdemque omnino starent auctoritate; diuina itaque directione factum arbitror, quod interpres oscitantia quaedam Scripturae loca, et in his Amosi hocce vaticinium, cui nempe hoc ipso temporis interuallo eruentus cummaxime respondere debuit, *ad mentem sanctissimi Auctoris exacte expressa omniumque simul oculis clarius euoluta sint*, quantumuis accuratae translationis examen sustinere caeteroquin haud possint. Id vero de illis cumpromis locis certum esse puto, quae in N. T. ex hac versione desumpta leguntur, tametsi verbis hebraici textus exacte non respondeant. Praeterea omnes hic euanescent difficultates, tantum abest ut inextricabiles existimandae sint, si recte consideramus et expendimus, huiusmodi loca a diuinis doctribus, vel noui Testamenti scriptoribus, non humano consilio, sed Spiritu S. instinctu et auctoritate, ad partes esse

F

vo-



vocata; quidni enim ipsem Auctor Scripturae de sensu oratorum sententiam dicat omnium calculo dignissimam? Non desunt tamen qui huius, de qua nobis hic sermo est, differentiae alias exponere annuntiuntur caussas, ex ipsa nimis phraseos ratione desumptas: ita ut interpretem verba quidem recte legisse, sed sensum omnino perspexisse dataque opera clarius extulisse contendant. Vt cunque sit, longe fane manifestissimum est, per Davidem Messiam, et per tabernaculum regnum ipsius hic intelligi, vel ut clarius loquar, Ecclesiam, doctrinae corruptione collapsam, sed ipsius Christi et Apostolorum opera reficiendam et instaurandam. Cum itaque Amosus praedicat, fore, ut incolae huiusc tabernaculi, seu membra Ecclesiae cum reliquiis Edom, et omnes gentes haereditatem consequantur, satis puto planum est, de reliquiis Edom et de gentibus implicite simul praedicari fore ut Dominum requirant, siquidem hoc demum pacto fieri poterat ut cum gentiinis Ecclesiae membris haereditatem consequerentur; sed requirere Dominum sine dubio nihil aliud hic infert, quam innuenire Dominum, seu quod idem est, in gratiam foederalem, quae haereditatem utique importat, recipi. Edom vero non ipsam semper nationem Edomaeorum, sed aduersarios ciuitatis Dei haud raro denuncare perulgatum est. Quodsi ergo apertius loqui vellem, neque tamen explicite hostes Ecclesiae indicare, ipsem etiam vterer circumscriptione: reliqui homines, ab incolis tabernaculi quod Ecclesia dicitur, omnibusque gentibus, quibus nihil cum his negotii est, plane diversi. Iacobus ergo luculento hocce vaticinio primo quidem adstruxit accessionem gentilium ad Ecclesiam, deinde vero Baptismi quoque salutarem effectum confirmauit, his nempe verbis innixum: *super quas (gentes) innocatum est nomen meum; dicit Dominus qui facit haec*



haec omnia. Plerique omnes interpretes idem haec verba valere putant, ac si dixisset: *quae de meo nomine cognominae sunt, vel eodem sensu: quae ad veri Dei agnitionem peruerterunt.* Sed huic expositioni textus refragatur cohaerentia; oportet enim in his verbis *causam* latere, quam ob rem gentiles ad Deum conuersi nulla adficiendi sint molestia: siquidem Iacobus, postquam addidisset, *Deo opera sua ab aeterno cognita esse*, ex his ipsis quae cummaxime illustramus verbis infert: *διὸ εἴη νόμος, ἵνα πρόpter καύσαν εγώ κέντεο* etc. nullam vero rationem protulisset, cur gentes a circumcisione legisque iugo immunes essent, nisi his verbis: *super quas inuocatum (vel nuncupatum) est nomen meum dicit Dominus, singularem, explicitam et vel maxime solennem nominis diuini invocationem, cum salutari ablutione coniunctissimam, indicasset; etenim ex vaticinio de gentium conversione non rectius efficere hanc potuit libertatem, quam ex ipsa Baptismi confirmatione, cum in promptu fuisset exceptio: huiusmodi praedictiones necessitati circumcisionis, diuinitus quippe institutae, neutiquam repugnare, sed spem potius erigere, fore ut gentes legibus Ecclesiae omniue divinae institutioni sese subiiciant, et hac demum communia salutem consequantur.* Sed nostra haec interpretatio planam immo euidentissimam sistit rationem: *Deus, cui ab aeterno omnia nota sunt, per Amosum uatem praenuntiavit, fore ut gentiles, ex quo nomen diuinum super illos inuocatum vel nuncupatum fuerit, cuius nempe inuocationis ipsem deinceps rationem Baptismi institutione patefecit, requirant, atque adeo inueniant Dominum, seu quod idem est haereditatem, ex foederali, quam haec phrasis importat gratia, adeant. Quodsi itaque omnium consensu Prophetae haec verba nos condocent exteras nationes, haereditatem vel salutem, per ipsum Baptismum*

F 2

pro-



protinus adire cum Israelitis: firmo utique iudicio decerno, conuersos ex gentibus nulla adficiendos esse molestia, ut scilicet haereditatem, quae ipsa salus est, per legis obseruantiam conservantur. Veruntamen Euangelii causa scribendum puto, ut ab iis se abstineant quibus Iudaei cum primis offenduntur, ab idolorum nempe contaminationibus, et fornicationibus, et suffocato, et sanguine; his namque impedimentis remotis fore existimo ut conuersionem ipsorum quodammodo promoueant, vel furor saltem materiam subtrahant; siquidem ubique terrarum et locorum Iudaei agunt, quibus publica praelectione et interpretatione scriptorum Mosaicorum, quae omnibus Sabbathis in synagogis ipsorum fieri solet, idolorum contaminationes, fornicationes, itemque suffocati et sanguinis usum, sacrorum communioni vel maxime obstat, identidem inculcatur. Idolorum contaminationes τὰ εἰδωλός υτα hic denotare ex comm. 29. efficitur, horum vero usum Paulus etiam certo tantum respectu, nimirum propter infirmos, improbat 1. Cor. IIX. (\*) sed per fornicationem quid intelligi hic debeat non usque quaque aperatum est. Certe de rebus mediis, vel quae saltem in mediis quodammodo censi possint, sermonem hic esse, ut mea quidem fert opinio, oppido planum et dilucidum est: Idcir.

(\*) Dionysius quidem Vossius in notis ad Maimonidem *de Idolol.* p. 38. per בְּזִיר מִזְרָח Psalm. CVI. 28. carnes immolatas sine ἐιδωλόθυτα intelligi putat; mihi vero probabilior eorum videtur conjectura qui haec verba de sacrificiis mortuorum caussa oblatis interpretantur. Vtunque sit, non tamen simpliciter dicuntur peccasse quod comederunt haec sacrificia, sed quod ipsi idolo, vel aliis ritibus ut haec sacrificia comedenterent, vel hoc ipso conuiuio, iniciari sunt: וַיַּצְמֹר לְבָעֵל פָּעוֹר LXX. καὶ ἐτελέσθησαν τὰ βεβαιφεγώρ, καὶ ἐφαγον θυσίας νεκρῶν.



circo non possum non B. Parentis mei (\*) subscribere sententiae, qui Iacobi haec verba ita accipienda docuit, vt nihil harum rerum, a quibus abstinere se voluit conuersos, seorsim consideremus, sed connexis potius ideam dari statuamus conuiuorum ab idololatris, peracto publico cultu, in priuatis non minus aedibus quam in ipsis templis institutis et apparatis, quibus certe conuersos ex gentilibus aegre priuum caruisse aliunde notum est. Neque obscura est ratio cur ab eiusmodi conuiuiis retrahere se debuerint conuersi; his namque interesse non potuit non Iudeis idem videri ac sacrorum cum idololatris communionem profiteri: accedebat πορεία, cuius ideo mentionem fecit, vt haec conuiua non Iudeos tantum propter speciem syncretismi, vsumque suffocati et sanguinis, sed Deum quoque detestari, condonatur.

F 3

ceret

(\*) Sigismundi Hosmanni Anmerkungen über verschiedene wichtige Dörter aus dem ersten Buche Mosis p. 228 --- 233. Weil diese alle vier verbothene Dinge bey der Heyden ihren Götzens Opfern und Mahlzeiten sich sonderlich gefunden. --- Dass aber die Apostel auf diese Dinge nicht insbesondere, sondern zusammengefasst, als auf Dinge die bey der Abgötteren (oder Mahlzeiten die nach dem öffentlichen Götzendienste angerichtet worden) vorfielen, ihr Abscheu gehabt erhellert daraus, dass sie die Hurerey mit eingeschlossen. Denn dieselbe, ver sich allein betrachtet, gehört zum moral. Gesetze und sonderlich zum sechsten Gebothe. Da wird man aber nummehr eine Ursach aussinnen können, warum die Apostel unter das was man etwa zum ceremonial-Gesetze rechnen mögte, ein Hauptstück des moral. Gesetzes genannt, und nicht anderer Dinge aus dem moral. Gesetze, als des Todeschlagens, gedacht, dessen Verboth eben so verbindlich ist als das Verboth der πορείας. Allein weil bey denen Götzens Mahlen so grosse Hurerey vorging, haben sie dieselbe mit in istis actibus complexis eingeschlossen.



ceret. Patet inde, quam ob rem in epistola synodica forniciatio ultimo loco legatur v. 29. itemque Act. XXI. 25. immo coniectu inde proclive est, quid caussae fuerit, cur reliqua, non moralis tantum, sed cibariae quoque legis capita, quae non minoris caeteroquin videri poterant momenti, silentio hic praetermissa sint. Non equidem omni dubio maiorem hanc dixerim expositionem, minoribus tamen incommidis premitur quam reliquae, proindeque dignior videtur adprobatione. (\*) Sententiam a Iacobo pronuntiatam totum probavit concilium, litterisque a Iuda et Sila deinceps perlatis, explanauit.

## §. XV.

Caeterum cum ex Gal. II. 2. perspicuum sit, consilium cuius haec tenus euentum illustrauit, ut scilicet Antiocheni ab Apostolis et Presbyteris Hierosolymitanis decisionem controversiae peterent, ab ipso Deo profectum, et per revelationem ipsis suppeditatum fuisset; praeterea huius etiam consilii, vel mandati potius diuini cum promissione coniuncti, ex parte ipsius Hierosolymitanae Ecclesiae singulatis, quam itidem in apricum produxi, et grauissima utique cauissa appearat; denique ex epistola synodica v. 28. satis abundeque manifestum sit, decretum a Iacobo prolatum ipsum Spiritum Sanctum auctorem agnoscere: oppido certe lepidi sunt, ne quid grauius dicam, qui hanc nobis narrant historiam, ut concilia, humano consilio conuocata, eiusmodi fulgere credamus inspiratione et auctoritate, ut vel verbo diuino quidquam adiicere, vel quod plane peruersum et quodammodo

(\*) Dan. Heinsius praesenti hocce loco nullum in Scriptura difficultiorem esse existimauit, in Exercit. S. p. 300.



modo delirum videtur, falsam et absurdam Scripturae interpretationem ad honorem dignitatemque verae et genuinae expositionis perducere et extollere queant. Idem agunt, qui ex mirabili Naamanis sanatione curationis leges conficiunt, illisque qui ex variolis laborant eiusdemmodi prescribunt ablutionem; utimur tamen aqua: et conciliorum haud minus insignem usum esse, si Scriptura, ut oportet, vtramque in iis paginam faciat, nemo nisi vacui capit is negauerit. Sed haec velut in transcursum.

### §. XVI.

Redita et propalam lecta epistola Antiochenae quidem Ecclesiae pax et tranquillitas restituta est; praeterea Paulus et Silas, prout adsumto et propter Iudeos circumcisio Timotheo urbes deinceps pertransibant, tradebant haec dogmata ab Apostolis et Presbyteris Hierosolymitanis decreta, cap. XVI. 4. fuerunt tamen diuersis in locis, qui spreto concilii pronuntiato, Paulo cummaxime, ad quem videlicet propter ἐναγγέλιον τῆς ἀποθυσίας, Gal. II. 7. proprius haec causa spectabat, inimicissime atque infestissime sese opponerent, variisque et acerrimis certaminibus occasionem materiamque exhiberent, Pseudapostolorum denominatione notissimi. (\*) Ducebam et antesignanum istorum hominum, immo totius litis satorem et concitatorem, Cerinthum fuisse constans est antiquorum Scriptorum traditio. Epiphanius Haer. XXIX. c. 2. ubi de Cerintho dislerit, ὅτος δὲ εἴη, inquit, ὁ γαπητοὶ, εἴς τῶν ἐπὶ τῶν Ἀποσόλων ὁ τῷ ταραχῇ ἐργασάμενος ὃς οἱ περὶ Ιάκωβον γεγράφασιν εἴς τὴν Ἀντιόχειαν επισολὴν, λέγοντες καὶ ὅτος εἴς εἴη τῶν ἀντισάντων τῷ ἄγιῳ Πέτρῳ ἐπειδή εἰσι.

(\*) Vid. Rom. XVI. 17. 2. Cor. XI. 13. 14. Gal. I. 7. IV. 17.  
Phil. III. 2. 18. f. etc.



έισῆλθε πρὸς κορυῆλιον τὸν ἄγιον - - - ὅτος ἐν παρεκκίνει πε-  
ρὶ τοῦ Πέτρου ἀνελθόντος εἰς Ἱεροσαλήμ τὰ πλήθη τῶν ἐν πε-  
ριτομῆς λέγων, ὅτι ἔισῆλθε πρὸς ἄνδρας ἀποβυσίαν ἔχοντας  
Atque idem ille, charissimi, fuit qui Apostolorum tempore tu-  
multum istum excitauit, cum Iacobus caeterique Apostoli litter-  
ras Antiochiam scripserunt his verbis; - - - idem quoque eorum  
unus est, qui se Petro opposuerant cum ad sanctum Cornelium  
iussent; - - - hic igitur circumcisorum gregem aduersus Petrum  
remiserentem commouit Hierosolymis, dicens: ingressus est ad vi-  
ros praeputium habentes; et cap. 4. ὡς καὶ ἄλλοτε σάσιν ἀντὸς  
τε καὶ οἱ μετ' αὐτῷ ἐιργάσαντο ἐν αὐτῇ τῇ Ἱεροσαλήμ, ὥσπερ  
καὶ Παῦλος ἀνῆλθε μετὰ Τίτου. - - - αὐτοῖς δὲ τοῖς  
καὶ εἰς Φευδαροσόλης τραπέντων, καὶ ἄλλος Φευδαροσόλης  
αὐτοῖς εἰλάντων, ὡς καὶ ἦδη προείρονται, εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἐν  
ἀρχῇ καὶ εἰς ἄλλος τόπους, λέγοντας, ὅτι εὖν μὴ περιτμῆθ-

τε, καὶ φυλάξητε τὸν νόμον Μωϋσέως & δύναθε σωθῆναι - - -  
καὶ ὅτοι εἴσιν οἱ παρὰ τῷ Πάυλῳ εἰρημένοι Φευδαροσόλοι, ἐρ-  
γάται δόλιοι, μεταχρηματιζόμενοι εἰς Ἀποσόλης Χριστόν, quem-  
admodum alias idem ille cum suis Hierosolymis tumultum exci-  
tauit (Act. XXI. 28.) quando scilicet Paulus cum Tito aduenit;  
- - - nam cum isti defecissent, et in pseudapostolos conuersi es-  
serent, et alios ut diximus pseudapostolos Antiochiam et in alios  
locos misserent, qui dicarent: nisi circumcidamini et custodiais  
legem Mosis non potestis saluari; - - - atque illi ipsi sunt quos  
Paulus pseudapostolos nuncupat, operarios subdolos, transfor-  
mantes se in Apostolos Christi. Et Philastrius cap. XXXVI. Hic  
(Cerinthus) sub Apostolis quaestionem seditionis commouit, di-  
cens debere circumcidendi homines, cuius caufsa contra illum et  
haeresin eius decreuerunt in suis actibus Apostoli sententiam, non  
debere iam homines Iudaismo, id est, circumcisioni, aliisque  
τοις superstitionis vanae parere carnalibus, qui de gentibus  
venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.

Neque



Neque praequantem rationem a quoquam hactenus adlatam vidi, cur adspernari hanc debeamus relationem, cum negari nequeat Cerinthum Iudaeum fuisse, et circumcisionis legisque Mosaicae necessitatem omnino vrsisse; praeterea plurimos aetatis illius haereticos peruvicacia et fallendi artificio longe multumque superasse. (\*) Petri quidem aduersarii, rectiora edocti, Deum dicuntur glorificasse, Act. XI. 18. sed nihil plane obstat, quo minus ex reciduo mentis morbo grauius deinceps laborasse existimandus sit. Neque magis huic narrationi aduersari videtur, quod Cerinthus alios, eos que longe gravissimos errores habuerit, quibus Iudeos quibuscum Apostolis et concilio Hierosolymitano speciatim et ea actate Paulo ac Barnabae res fuit, imbutes fuisse non adpareat, quod quidem receptam hanc sententiam vel maxime premere iudicauit celeberrimus Buddeus ὁ μακαρίης in Ecclesia Apostolica p. 113. Enimuero cum Cerinthus circumcisionis legis que obseruantiam ad salutem necessariam diceret, fieri profsus potuit, ut argumento a satisfactione Seruatoris deducto pressus, ipsam tandem diuinitatem eius impugnaret, armis ex orientalis philosophiae placitis, quae ex Ægypto secum attulerat (\*\*) desumtis: quemadmodum ubi semel recto deerratum est, in praeeeps plerumque peruenitur. Ipse Epiphanius dubium illud occupauit: ἐποίησε δὲ τότο Κήρυξ θεος πάντας ἐν τῇ Ασίᾳ μηρύχου τὸ αὐτὸν μηρύχιον καὶ ἐμπατεῖν εἰς τὸ περισσότερον τῆς εἰατρᾶς ἀπωλέσιας βάραθρον sed factum id a Cerinthe antequam doctrinam suam in Asia praedicaret, seque in exitio sui gurgitem profundius immitteret. Haer. XXIX. c. 2. Neque tamen probabile puto reliquos Pseudapostolos graui-

G

ri-

(\*) Inde enim Μηρύχος siue Laqueus vocatus est; conf. Fabricii Cod. Apocr. N. T. vol. I. p. 344.

(\*\*) Theodoret. L. II. c. 3. Haeret. fab.



ribus hisce erroribus, deinceps ab ipso disseminatis, explicite quidem accessisse et subscripsisse, tametsi satisfactionem Iesu Christi, eiusdemque adeo etiam diuinitatem implicite simul neget, qui legis obseruantiam ad salutem prorsus et omnino statuit necessariam. Sed Samuelis Basnagii, Facditii, aliorumque sententiam, qui praeeunte Lamberto Danaeo (\*) Cerinthum secundo demum saeculo vixisse, proindeque temporum rationes nobis obstare contendunt, magno haud pri dem studio a Frid. Adolpho Lampio in *Comment. analytico-exeget. in Ioannem, prolegom. L. II. c. 3. §. 13 seqq.* ornatam, sufficienti ratione profligauit laudatus Buddeus, in eadem elegantissima, lectuque dignissima *Commentatione de fato Ecclesiae christianaæ sub Apostolis p. 411 -- 487.* vbi simul reliqua Cerinthi dogmata erudite exposuit, planumque fecit, non Ioannem tantum in Euangelio suo, eiusque praeципue exordio, immo in epistolis quoque, sed Paulum etiam, in ea quam ad Colossenses perscripsit, cummaxime iisdem sese opposuisse. Caeterum nullo plane fundamento nititur Bartholomaeus Petri, qui Estianum in apostolicas epistolas commentarium suppleuit, dum credibile putat, Diotrepheum quoque, cuius Ioannes ep. III. 9. 10. mentionem fecit, ex illorum fuisse numero, quorum Magistri a Paulo pseudapostoli nominati sint; immo Hugo Grotius ad h. I. Diotrepheum illis potius accendendum duxit qui Iudeos Christum quidem professos sed legis ritus obseruantes, ad coetus suos non admiserint; et haec coniectura maiori seie commendat specie, ex ipso enim nomine, quod *Ionis alumnum* denotat, oppido perspicuum est, praeter vanam ambitionem nihil huic homini cum Iudeis fuisse commune.

§. XVII.

(\*) Conf. Bayle *dict. Hist. et Crit.* ed. 1720. p. 823.

## §. XVII.

Pseudapostolorum errori Paulus, vtpote gentium Doctor, singulari prorsus studio fortissime restitit, dataque imprimis opera in epistolis ad Galatas et Colossenses, maximam quippe partem Cerintho et pseudapostolis oppositis, illud agendum sibi sumvit, vt ipsum eius fundamentum et πεπτον Φευδος, quo spem salutis in legis obseruantia perpetram collocarunt, idoneis luculentisque rationibus eueteret veramque salutem consequendi rationem explanaret. Adstructa enim quae ex fide est iustitia, non poterat non omne simul dubium de Baptismi salutari effectu protinus euanscere, quandoquidem aduersarii supernaturalem eius efficaciam, ad fidem vel producendam vel confirmandam, impetrere et labefactare haud quaquam sustinebant. Et notatum certe dignissimum est apostolico hocce aeo supernaturalem Baptismi efficaciam, ne ab his quidem in dubium potuisse vocari, qui ipsam adeo diuinitatem Seruatoris deinceps in controversiam adduxerunt vt circumcisionis legisque necessitatem tuerentur; quodsi enim vel Euangelii vel Baptismi diuinam virtutem obiectionibus vidissent obnoxiam, longe maiori specie multoque commodius caussam quam suscepserant egissent, ipsam fidem, quam itidem agnouerunt necessariam, ex circumcisione legisque obseruantia deducendo.

## §. XIX.

Quantumuis autem continua et grauissima Pauli certamina veritati, et Ecclesiae quae hac nititur et cummaxime dignoscitur, egregio saluberrimoque fuerint emolumento; tantum tamen abest vt pacem tranquillitatemque reduxerint, vt potius, fortissimo hocce veritatis defensore sanguinis tandem Baptismo ad coelestem vitam denato, pestifera pseud-

G 2

pa-



postolorum dogmata, nouo Ebionis patrocinio roborata, latius regnarint, maioresque in Ecclesiam intulerint calamitates. Τέγονε δέ η αρχὴ τάτου, verba sunt Epiphanii Haer. XXX. c. 2. μετὰ τὸν τῶν Ἱεροσολύμων ἀλωσιν ἐπειδὴ γὰρ πάντες οἱ εἰς χριτὸν πεπισευκότες τὸν Περσίαν κατ’ ἔκεινον καὶ τὸν κατώκησαν τὸ πλέον, ἐν Πέλλῃ τοι πόλει καλλιμένη τῆς Δεκαπόλεως, τῆς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ γεγραμμένης πλησίου τῆς Βατανίας καὶ Βατανίτιδος χώρας, τὸ τηνικαῦτα ἐκεῖ μετανασάντων κοι ἐκεῖσε διατριβόντων αὐτῶν, γέγονεν ἐκ τάτου πρόφασις τῷ Εβίσωνι· καὶ ἀρχεται μὲν τὴν κατοίκησιν ἔχειν ἐν Καινάβῃ τοι κώμῃ ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Καρνατίου, Αρενί, καὶ Αζαράθ ἐν τῇ Βασανίτιδι χώρᾳ, οἷς η ἐλθόσα εἰς ήμᾶς γνῶσις περιέχει verum exorta est haec factio post expugnationem urbis Hierosolymitanae; nam cum christiani omnes in Peraea degerent atque in urbe Pella potissimum, quae in Decapolitana prouincia est, cuius in Euangelio exstat mentio, prope Batanaeam et Basanitidem: cum illic, inquam, domicilium collocassent, Ebioni inde nata est occasio, siquidem primum habitauit in pago quodam Coceabe in regione Carnaim Arnem et Asfaroth, in tractu Basanitidis, quemadmodum vetus ad nos usque fama pertulit. Qui falsitatis hanc narrationem arguunt, ex Chronicō Alexandriano p. 596. probare nituntur Ebionem sub Traiani demum imperio, et quidem octauo eius anno, Candido et Quadrato Coss. errores suos sparsissime; verum auctōr huius Chronicō non de Ebione loquitur sed de haeresi sive factione Ebionitarum, eamque, inde ab hoc tempore, caput cummaxime, aliis ut puto in regionibus, extulisse innuit: ἐπὶ τῶν προκειμένων ὥσταν η τῶν Εβισωτῶν αἱρεσις ἐγνωρίζετο. Proinde Tertulliani verba: Paulus ad Galatas scribens inuehitur in obseruatorēs et defensores circumcisionis et legis: Hebionis haeresis est, de Praescript. c. XXXIII. non alio sensu accipienda sunt, quam quod Ebionis haeresis, ut ipsius verbis utar, ex illis quae iam tunc



unc fuerunt, semina sumserit. Philastrio cap. XXXVII. discipulus vocatur Cerinthi, sed in Adpendice ad Tertulliani L. de praescript. c. XLIX. et ab Hieronymo in Dial. contra Lucifer. c. IIX. rectius successor dicitur Cerinthi, cum praeter pseudapostolorum hanc opinionem de circumcisionis legis que obseruantia ad salutem, eo quem exposuimus sensu, omnino necessaria, et chiliasmum, ut Hieronymus ad Esaias cap. LXVI. auctor est, cum Cerintho nihil fere habuerit commune. Irenaeus namque L. I. 26. de Ebionitis, ea autem, inquit, quae sunt erga Dominum non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Enimuero qui vel particulam negatiuam hic expungendam, vel pro non similiter, consimiliter legendum opinantur, nullam suspicionis suae producunt rationem; receptam vero lectionem iudice magno Fabricio, in notis ad Philastrii c. XXXVII. Epiphanius confirmat testimonium, qui Haer. XXX. 14. postquam dixisset Cerinthum et Carpocratem ex genealogia quae in Evangelio Matthaei legitur efficere voluisse, Seruatorem ex Iosephi et Mariae semine esse procreatum, de Ebionitis subiungit: οὐδὲ ἀλλα τινὰ διανοῦσθαι  
hi vero diuersa quaedam statuunt. Sed quaque diuersitas inter Ebionem et Cerinthum, quoad sententiam de Seruato-  
re, intercesserit, valde obscurum est; celeberrimus quidem Buddeus probari non posse existimauit, quod Ebionaei itidem Christum a Iesu distinxerint, et illum cum hoc ad certum tempus coniunxerint, in Ecclesia apostolica p. 525 seq. sed Ebionaeos Christum a Iesu utique distinxisse, et cum eodem coniunxisse, ex Epiphanius l. c. condiscimus: Iesum, ut diximus, merum hominem existisse putant (Ebionaei) in eoque reseedisse Christum, qui columbae specie sit illapsus cum eoque coniunctus, id quod aliis etiam haeresibus placuisse reperio, καὶ εἶναι αὐτὸν τὸν Χριστὸν, esse itaque ipsum, qui Christus est, ex semine viri et mulieris pro-

G 3

gna-



gnatum (Iesum nempe cum Christo hoc pacto coniunctum, Christumque adeo factum) hominem, propter hoc eius responsum, quod cum renuntiatum esset, ecce mater tua et fratres tui foris stant, hunc in modum reddidit: quae est mater mea et fratres mei? et extendens manum in discipulos, dixit: hi sunt fratres mei et mater mea, qui faciunt voluntatem patris mei. Idecirco illud tantum probari nequit, quod ad certum dunt acut tempus Christum cum Iesu coniunxerint; verum certi quid hac de re definire, in tanta veterum monumentorum penuria longe difficillimum est.

## § XIX.

Fundamentum quidem erroris Cerinthiani de necessaria legis obseruantia, quem pseudopostoli deinceps acriter defensitarunt, falsa fuit persuasio de iustitia non per fidem, sed per opera obtainenda; Ebionaei tamen, argumentis a Paulo in epistola ad Romanos productis et euolutis haud dubie pressi, iustitiam ex fide in Christum quodammodo videntur agnouisse, siquidem eo tandem se receperunt ut Christum corporeorum Israelitearum causa potissimum aduenisse contenderent, quod ipsem dixisset: non sum missus nisi ad ones quae perierunt domus Israël, vt Origenes refert in Philoc. c. I. indeque conficerent, quae Christiani Lupi est suspicio, neminem, nisi per circumcisionis viam, capacem esse Euangelii. Quantumuis enim ipsum Paulum immanni prorsus odio aversarentur et apostatam nuncuparent; (\*) rationibus tamen,

pro

(\*) Paulum gentilem dixerunt ex vtroque nempe parente gentili procreatum, sed proselytum factum vt Pontificis filiam duceret, verum postquam ab hocce coniugio excidisset ad christianismum accessisse, iratumque aduersus circum-



pro iustificatione per fidem obtinenda, ex Mōsaicis scriptis, quippe quorum legis defensoribus non potuit non sancta haberi auctoritas, ab ipso desumtis, riteque diductis, sua utique constabat dignitas, nulla alia exceptione labefactanda; huic vero ut haud exiguum inesse momentum ostenderent, ad ipsius Christi prouocarunt exemplum, et dixerunt: *Sufficit discipulo si sit sicut Magister eius: Christus circumcisus est, tu igitur circumciditor,* Epiphan. l. c. cap. 26. Ne vero apostolica destitui dicerentur auctoritate, Petri imprimis nomine varia composuerunt scripta, quibus epistolam ad Iacobum ipsius nomine exaratam, et a Franc. Turriano in lucem productam quam legas in Fabricii Codice apocrypho N. T. vol. I. p. 907 seqq. omnino accensendam esse, dubitari nequit.

### §. XX.

Infirmis nituntur rationibus, qui Ebionem quendam, a quo nomen et originem traxerint Ebionitae, negant unquam existisse, et Ebionitas a paupertate potius doctrinae, quod nempe de Christo πτωχῶς καὶ ταπεινῶς docuerint, cum Ebion vox Hebraea sit (עַבְדָן) pauperemque significet, cognominatos esse arbitrantur. In Origenis certe verbis quibus vel maximum pro sententia sua argumentum inesse contendunt, nihil plane deprehendo probationis: μηδὲ τότο πατρούσας, ὅτι οἱ ἀπὸ Ιεδάιων εἰς τὸν Ἰησὸν πιστεύοντες δὲ παταλελόπιστοι τὸν πάτριον νόμον βιβόντες γὰρ κατ' ἀυτὸν ἐπώνυμοι τῆς κατὰ τὴν ἐνδοχὴν πτωχείας τῷ νόμῳ γεγεννημένοι· Εἴβοσαν τε γὰρ ὁ πτωχὸς παρὰ ιεδάιοις παλεῖται, καὶ Εβιωνῖοι χρηματίζοντι οἱ ἀπὸ Ιεδάιων τὸν Ἰησὸν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι.

Ne

---

cumcisionem Sabbathum et legem scripsisse; vid. Epiphan. l. c. cap. 16. 25. Theodoretus Haeret. fab. L. II. c. I. Eusebius L. III. H. E. c. 27. Origenes L. V. contra Celsum.



Ne hoc quidem compertum habens (Celsus) quod qui ex gente iudaica crediderunt non reliquerint patriam legem; viiunt enim iuxta eam, paupertati legis, quoad expositionem, cognomines: Ebion enim iudaica lingua pauperem denotat, et Ebionaei dicuntur qui ex Iudeis Iesum pro Christo receperunt. L. II. contra Celsum p. 56. Non dicit, vere a paupertate legis nomen traxisse Ebionaeos, sed denominationem ipsorum eiusmodi admittere explicationem sive interpretationem qua paupertati legis respondeat: ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΕΚΔΟΣΗΝ, hoc namque vocabulum apud Origenem expositionem significat; vid. Suicer Thesaurus Eccles. T. I. p. 1046. Neque huic interpretationi refragatur quod idem Adamantius L. IV. περὶ ἀρχῶν scripsit: ςκι ἐλαμβάνομεν ταῦτα ὡς οἱ πτωχοὶ τῆς διανοίας Εβιώναιοι, τῆς πτωχείας τῆς διανοίας ἐπόνυμοι: quemadmodum pauperes intellectu Ebionaei, paupertati intellectus cognomines; cum nullas cogat necessitas, ut de causa vel origine denominationis sermonem hic esse statuamus. Sed audiatur Eusebius; hic enim cum praeiente Origene (\*) duplex Ebionaeorum genus fuisse doceat, haud obscure simul refert, duplarem denominationis fuisse rationem; de antiquioribus enim dicit: Εβιώναιοι δὲ τέττας ὄντες ἐπεφύμιζον οἱ πρώτοι, πτωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τὸ Χριστὸν δοξάζοντας. hi ab antiquis conuenienter cognominati sunt Ebionaei, humiliiter quippe et abiecte de Christo sentientes; non dicit propter paupertatem sententiae suae de Christo Ebionaeos nuncupatos fuisse, sed nomen illud ὄντες ipsis impositum esse, cum eorundem etiam sententiae apprime conueniat; certe dum ὄντες (conuenienter) ita dictos iudicat, aliam huiusc nominis caussam fuisse haud obscure innuit. Deinde vero, postquam recentiorum Ebio-

ni-

(\*) Vid. Huetii nomine ad Origen, p. 47.



nitarum dogmata indicasset, corporales nempe legis Mosaicae caerimonias ab iis, perinde ac ab antiquioribus, accurate custodi, et sabbathum aliosque iudaicos ritus, non secus ac a prioribus obseruari, addit: ὁ Θεος παρὰ τὴν τοιαύτην ἐγχέρησιν τῆς τοιᾶςδε λελογχασι προσηγορίας τὸς Εβιωνάιων ὄνοματος, τὴν τῆς διανοίας πτωχείων ἀυτῶν ὑποφαίνοντος ταῦτη γὰρ εἰπεὶληρὸς πτωχὸς παρὰ Εβραιοῖς ἐνομάζεται: unde propter eandem actionem (legis Mosaicae obseruantiam) eandem sortiti sunt adpellationem Ebionaeorum nominis, paupertatem intellectus ipsorum declarantis: hoc enim cognomento apud Hebraeos mendicus denotatur. L. III. H. E. c. XXVII. Postiores itaque Ebionaei non ab auctore sed a dogmatum ratione denominationem adepti sunt. Nihil hanc in rem clarius esse potest quam Hieronymi verba in Epist. XI. ad Augustinum, quibus Hebionis sectatores ab Hebionitis disertissime distinguit: *Si hoc verum est, in Cœrinthi et HEBIONIS haeresin dilabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum a Patribus anathematizati sunt, quod legis caerimonias Christi Euangelio miscerunt, et sic noua confessi sunt ut vetera non dimitterent; quid dicam de HEBIONITIS? qui Christianos esse se simulant etc.* Hoc vero pacto diuersae doctorum virorum de origine huiuscem nominis sententiae facilis negotio inter se conciliantur; maxime cum Ebionis cuiusdam in Talmude quoque Hierosolymitano inter sectarum conditores mentionem fieri pridem notauerit Lightfootus T. II. opp. p. 148. dogmatum vero rationi haec denominatio tam obscure et inconcinne respondeat, ut inde quoque aliam eius causam fuisse longe sit manifestissimum: ecquis enim diuitem aliquem nominando idem significare se credat, ac si diceret, recte eundem et praecclare de peccatorum haud minus iustificatione quam de persona Seruatoris sentire atque praecipere? certe credibilius est, inde demum hanc natam fuisse

H

fuisse



quisse interpretationem, quod haeretici primum, vt oblitata haeresiarchae memoria in christianis censerentur, aliam denominationis caussam, ex vocabuli significatione deductam, apud imperitos veraeque eius originis ignaros adsignarint: *αὐτοὶ δὲ δῆθεν σεμνοῦνται*, ait Epiphanius *Haer.* XXX. c. 17. *ἴαυτοις Φάσιοντες πτωχὸς, διὰ τὸ, Φασὶν, εὐ χρόνοις τῶν Αποσόλον πάλειν τὰ ἀυτῶν ὑπάρχοντα, καὶ τιθένται παρὰ τὴς πόδας τῶν Αποσόλων, καὶ εἰς πτωχείαν καὶ ἀποταξίαν μετεληλυθένται καὶ διὰ τότο παλεῖσθαι υπὸ πάντων, Φασὶ, πτωχοὶ κ. τ. λ. at enim isti ea de re gloriantur seipso pauperes praedictantes, propterea, inquiunt, quod Apostolorum temporibus viderint sua bona et posuerint ad pedes Apostolorum et ad inopiam et renuntiationem venerint: et ob id ab omnibus vocari se dicunt pauperes. Sed hoc ab illis ex ingenio confictum est: nam Ebioni proprium hoc erat nomen, non sine vaticinio tamen aliquo, quo mendicus infelixque fore significaretur, cum a parentibus id nominis accepisset. Godofredum vero Arnoldum in *Historia Haeresium* falso adserere, neminem ante Epiphanium Ebionis mentionem fecisse, ex Tertulliani *L. de Praescr.* c. 33. et *de carne Christi* c. 14. demonstrauit Ittigius, in *obs. misc. Bibliothecae PP. Apost.* subiectis p. 243. totamque de nouo haeretico Ebione conficto machinam Arnoldinam luceiente quoque post alias deiecit B. Schelguigius in peculiari dissertatione a. 1700.*

## §. XXI.

Cum vero Ebionitae haud minus quam Cerinthiani, vt sententiam suam de circumcisionis legisque necessitate, quampe Baptismi salutarem effectum indirecte negarunt, maiori specie tuerentur, divinitatem Seruatoris, quippe quae satisfactionem eius infert, disertissime insitiarentur; nullum plane



plane dubium est, quin Ioannes Euangelium suum, eiusque praeceps exordium Ebionitis aequa ac Cerinthianis opposuerit, id quod praeter Epiphanium, *Haer. LI. c. 2.* Hieronymus etiam in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. IX.* confirmat: *nouisimus omnium scripsit Euangelium (Ioannes) rogatus ab Asiae Episcopis, aduersus Cerinthum aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui adserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Sunt quidem eruditii qui falsitatis hanc arguunt relationem; sed cum temporis rationes perperam obuertant, et Ebionitas ex haereticorum catalogo expungere nequeant: illud duntaxat evincunt, Ioannem non ex instituto contra Ebionitas scripsisse, cum Messiam absque viri opera ex virgine natum haud indicauerit; verum ne id quidem concedendum existimat qui solide dataque opera hanc causam egit Io. Franc. Buddeus *I. c. p. 519.* Tertullianus vero in prima etiam Epistola Ioannis Ebionitas notari arbitratus est: *At in epistola eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Iesum esse filium Dei: illud Marcion, hoc Hebion vindicauit;* de *Praescript cap. 33.* Neque contemnenda videtur Christiani Lupi coniectura: Ioannem in eadem Epistola ad errorem istum Ebionitarum, quo Christum propter corporeos tantum Israelitas aduenisse docuerunt, respexisse, dum scripsit: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi;* cap. *II. 2.* equidem qui Seruatum pro nudo homine habuerunt, non potuerunt non expiationem a Christo factam reiicere atque contemnere; sed nihil obstare video quo minus eadem opera vtrumque errorrem hic statuamus damnatum; praeterea valde obscurum est vtrum quaelibet errorum quos propugnarunt consecratio recte in placitis ipsorum censeamus; quantumuis enim apertum

H 2

fit,



sit, veram de expiatione Seruatoris sententiam cum reliquis eorundem scitis haud quamquam consistere; agnouerunt tamen necessitatem in Christum credendi, id namque inde efficitur quod caeteroquin nulla adpareat ratio, cur in Christianis haberí voluissent. Valde etiam credibile est Marcum Euangeliastam verba haecce Seruatoris: qui crediderit et baptizatus fuerit seruabitur, cap. XVI. 16. a Mattheo nempe praetermissa, propter Ebionem cummaxime in litteras retulisse. Marcus enim, teste Eusebio H. E. L. V. c. 8. vel potius Irenaeo, L. III. c. 1. μετὰ τὸν τότεν (τῷ Πέτρῳ καὶ τῷ Πάυλῳ) ἔξοδον - - - τὰ υπὸ Πέτρου κηρυτσόμενα ἐγγέφως ἡμῖν παραδέδωκεν post horum (Petri et Pauli) excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae annuntiata erant præscripta nobis tradidit. Libro quidem II. cap. 15. et L. VI. c. 14. Euangelium Marci ab ipso Petro adprobatum esse, ex Libro VI. Hypotyposeon Clementis, idem retulit Eusebius; sed Clemens fortasse consilii et propositi adprobationem perperam pro ipsius scripti confirmatione accepit: neque enim probabile puto Irenaeum et Eusebium per ἔξοδον Petri et Pauli, ut magni quidam viri suspicantur, discessum eorundem ex urbe Roma intellexisse, sed credibilius dixerim Irenaeum ad 2. Petri I. 15. respexisse, vbi ipse Petrus mortem suam ἔξοδον nuncupauit: mortem vero Petri Eusebius in Chronico in XIVtum Neronis annum coniicit, Marcus autem in Aegypto demum Euangelium suum scripsisse legitur apud Chrysostomum Hom. I. in Matth. I. 5. sed hac super re cum nomine magnopere contendam. Caeterum Ebionitae necessitatem Baptismi omnino agnouerunt, formulamque præscriptam retinuerunt, siquidem in Homiliis, Clementi ab Ebionaeo quodam suppositis, inter alia ex eorundem ut videtur Euangilio, hoc etiam laudatur dictum: Καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, εἰς μὴ ἀναγεννηθῆτε ὑδατε ζῶτε, εἰς ὄνομα πατρός,



πατρός, οὐδὲ, καὶ ἀγία πνευμάτος, & μὴ εἰσέλθητε εἰς τὸν Βα-  
σιλεῖαν τῶν θρανῶν vid. Fabricii Cod. Apocr. N.T. vol. II. p. 532.  
Amplissimam tandem victoriam ab Ebionitis retulit Philip-  
pus Apostolus, si vera sunt quae ex Passionali suo produxit  
Florentinius in *not. et exerc. ad indicul. Apostol.* p. 153. his ver-  
bis: *ordinatis Clericis, Episcopis et Presbyteris vel Diaconibus,*  
*atque Ecclesiae multis instructis, ipse per reuelationem in Asiam*  
*reversus, in ciuitate Hierapoli commoratus haeresin malignam*  
*Hebionitarum extinxit*; v. Itigii *Adpend. diss. de Haeresarchis*  
p. 19. Hieropolitanam fortasse Ecclesiam ab hac peste repur-  
gavit, siquidem ad Domitianum immo Traiani imperium ae-  
tatem dicitur produxisse. Quodsi antiquorum scriptorum  
fide niterentur, qui Cerinthum, ex Ioannis praedictione,  
balnearum ruina non sine miraculo oppressum, periisse no-  
bis narrant, et Baronii suscicio, *ad a. 74. num. 9.* Ebionem  
simul cum Cerintho lauisse, certioribus gauderet indiciis:  
iusto sane meritoque supplicio in ipsa aqua amisissent vitam,  
qui tot capitalibus et pestilentissimis, quos inuexerunt, er-  
ratoribus, nihil fere aliud videntur egisse, nisi ut vitam salu-  
temque aeternam a diuinissimo aquae mysterio inflexibili  
*L. III. H. E. c. 28.* itemque *L. IV. c. 14.* de Cerintho tantum  
loquuntur, et timuisse quidem dicunt Ioannem, ne balneum  
rueret, ipsius tamen ruinae nullam adiiciunt mentionem:  
Sunt qui audierunt eum (Polycarpum) dicentem, quoniam Ioan-  
nes Domini discipulus in Epheso iens lanari, cum vidisset intus  
Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, quod timeat  
ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veri-  
tatis. Epiphanius proinde, *Haer. XXX. c. 24.* memoriae la-  
psu, neque sine additione, de Ebione retulit quod Polycar-  
pus de Cerintho narrauerat; et alii deinceps, quod Ioannes  
timere

H 3



timere se dixerat ne fieret, id factum sic esse interpretati sunt; conf. omnino P. Bayle *Dict. Hist. Crit. art. Cerinthus* not. (D) p. 824.

### §. XXII.

Iis qui circumcisionem et reliqua legis opera ad salutem omnino necessaria duxerunt plerique, qui statum Ecclesiae sub Apostolis euoluunt, Nazaraeos etiam accensendos esse opinantur; verum Nazaraeorum sectam Ecclesiae christiana molestiam exhibuisse, demonstrari nequit. Primam huius sectae mentionem apud Epiphanium deprehendimus; inde triplicem hanc suspicionem exsurgere necesse propemodum existimat eruditissimus Abbas Io. Laur. Mosheimius: (I.) Nazarei non extiterunt ante quartum saeculum; (II.) Nazarei alio vsi sunt ante hoc saeculum nomine; (III.) Delituerunt ita hi homines ut nil de illis antiquiores haeresium oppugnatores resciuerint; in *Instit. Hist. Eccles. N. T.* p. 99. eamque deinceps cui ultimum hic locum dedit reliquis haud obscure anteponit: *Ego parum abes quin coniiciam fuisse Nazaraeos reliquias antiquissimae Ecclesiae Hierosolymitanae.* Quum scilicet tempore Hadriani huic coetni Episcopi ex gentibus praefererentur (vid. Sulp. Seu. *Hist. S. LII. c. 31.*) Iudei sine dubio satis id aetatis inuisi in secretiora sese abdiderunt loca, in illisque propter paupertatem sine reliquorum inuidia vixerunt, donec quanto saeculo paullo notiores nonnullis fierent; per Iudeos autem, si quid iudico, christianos intelligit Hierosolymitanos et hac ratione coniecturam suam in *Vindictis antiquae christianorum disciplinae* pridem propositam ipsem corredit et emendauit, confer Eiusdem *Notitiam scriptorum et dissertationum* p. 17. Mihi vero quartum, quod ex Epiphanii narratione subnascitur, consectorium longe probabilius, immo certissimum

vi-



videtur: propterea scilicet in antiquiorum scriptis nullam Nazaraeorum mentionem occurrere, quod neque disciplinam neque nomen Christianorum suscepint, neque illas unquam in Ecclesiam intulerint turbas, Epiphanius autem de Iudeis etiam sectis praeccipere suarum duxerit esse partium. Ipsum audiamus Epiphanium: ἔτοι δὲ προειρημένοι ἀλεξιῶται - - - παρέντες τὸ ὄνομα τῆς Ἰησοῦς ὅτε Γεστάις ἐαυτοὺς μετλήπτωσιν, ὅτε τῶν Ἰδαίων ἔμειναν ἔχοντες τὸ ὄνομα, ὅτε χριστιανὸς ἐαυτοὺς ἐκωνόμασαν, αλλὰ Ναζωραῖς, δῆθεν ἀπὸ τῆς τόπου τῆς Ναζαρᾶς ἐπωνυμίας· τὰ πάντα δέ εἰσιν ἰδάιοι, καὶ γὰρ ἐπερον· - - - γάρ τι ἐπερον ἔτοι Φρονθοί, αλλὰ κατὰ τὸ κήρυγμα τῶν οὐρανῶν οἱ ἰδάιοι πάντα καλῶς ὀμολογοῦσι, χωρὶς τῶν εἰς Χριστὸν δῆθεν πεπιστευκένοι - - - ἐν τόπῳ δὲ μόνον πρὸς Ἰδαίων διαφέρονται καὶ χριστιανὸς ἰδάιοις μὲν μὴ συμφωνεῖτες, διὰ τὸ εἰς χριστὸν πεπιστευκένοις χριστιανοῖς δὲ μὴ ὁμογνωμάντες διὰ τὸ ἔτι νόμῳ πεπεδήθαι, περιτομῇ τε καὶ σαββατῷ καὶ τοῖς ἀλοις· περὶ χριστοῦ δὲ όπις εἴδα εἴσειν, εἰ καὶ ἀντὶ τοῦ τῶν προειρημένον περὶ Κύριον καὶ Μάριον μοχθηρίᾳ ἀχθέντες ψιλὸν ἀνθρώπου νομίζοσιν ἢ καθὼς οἱ ἀλλήθεια εχει διὰ πνεύματος ἀγίας γεγενῆθαι ἐν Μαρίας διαβεβαιώντας hi vero, de quibus sermonem instituimus, haeretici - - - omisso nomine Iesu neque Iessaeos se nuncuparunt, neque Iudaeorum nomen retinuerunt, neque Christianos se nominarunt, sed Nazareos, a nomine loci Nazaret; verum per omnia Iudei sunt, et nihil aliud - - - neque ab his illa in re dissentunt, sed iuxta legis praescriptum Iudeorum plane more cuncta profidentur, hoc unicō videlicet excepto, quod in Christum credant: - - - in hoc autem unico a Iudeis acque ac Christianis differunt: a Iudeis in hoc dissentunt quod in Christum credant, a Christianis rursus in eo deflectunt quod legi adhuc insistant, quoad circumcisio nem, Sabbathum et reliqua. De Christo vero dicere nequeo utrum praedictorum Cerinthianorum Merinthianorum impietate de-



decepti simplicem illum hominem adseuerent, an secundum veritatem per Spiritum S. ex Maria genitum esse fateantur; Haer. XXIX. c. 7. add. c. 9. immo cap. 5. diserte testatur Iudeos conspectis duntaxat Apostolorum miraculis, citra institutionem, Nazaraeorum nomen suscepisse. Quodsi itaque inter Iudeos et Nazaraeos nullum plane discrimen fuit, praeterquam quod Nazarei in Christum, ut cum Epiphanio loquar, crediderint, per necessariam consecrationem emergit: neque Baptismum neque Eucharistiae usum inter eosdem obtinuisse, proindeque Nazaraeos ad externam christianorum communionem haud accessisse. Neque huic sententiae Augustini obstat testimonium: *Et nunc sunt quidam haeretici, qui se Nazaraeos vocant, a nonnullis autem Symmachiani appellantur, et circumcisionem habent Iudeorum et Baptismum Christianorum.* L. I. contra Cresconium cap. 31. nam fieri prorsus potuit ut pars deinceps suscepto Baptismo ad Ecclesiam accederet, et propter legis paupertatem in Ebionitis censeretur; Symmachianos enim ab Augustino aequae ac Ambrosio, siue quisquis auctor est *Commentarii in Epist. ad Galatas*, pro Ebionaeis dictos pridem obseruauit Hodius, *de Bibliis Origin.* p. 588. ita ut per recentiores Ebionitas, quos non ab auctore sed a legis obseruantia denominationem traxisse, ex Eusebii L. III. H. E. c. 27. retuli, ipsi intelligendi sint Nazarei, qui Baptismo tandem suscepto, sed nomine tantum mutato, ad Christianorum communionem accesserunt. Nihil vero clarius est Theodoreti verbis: οἱ δὲ Ναζαραῖοι ιudeοί εἰσι τὸν Χριστὸν τιμῶντες ὡς ἄνθρωπον δίκαιον Nazarei autem Iudei sunt, Christum tanquam hominem iustum honorantes, Haer. fab. L. III. c. 2. Neque praetermittendum Hieronymi testimonium, quippe quod vtramque hic facit paginam: *usque hodie per totas orientis synagogas inter Iudeos haeresis*



resis est quae dicitur Minaeorum, et a Pharisaeis nunc usque  
damnatur, quos vulgo Nazaraeos nuncupant, qui credunt in  
Christum filium Dei, natum de virgine Maria, et eum dicunt  
esse qui sub Pontio Pilato passus est et resurrexit: in quem et nos  
credimus, sed dum volunt et Iudei esse et Christiani, nec Iu-  
dae sunt nec Christiani; ep. XI. c. 4. ad Augustinum. Extitisse  
vero inter Iudeos quos מינין nuncupant, idque nomi-  
nis a recentioribus Iudeis ad Christianos translatum esse,  
neminem, nisi qui rerum Iudaicarum prorsus ignarus sit,  
praeterire potest, vid. Wagenseil. Conf. Carm. Lipmanni p.  
120. Neque mirum est, quod Nazaraeorum tandem se-  
sta et memoria, praeter nominis abusum, inter ipsos  
plane deleta, Minaeorum quoque placita, vna cum ori-  
gine huiusc denominationis, doctissimis etiam Iudacis  
obscura sint et omnino inuoluta. Maimonides per Mi-  
naeos Sadducaeos siue Baithosaeos intelligi suspicatus est;  
Elias autem Leuita, in Lexico quod *Tisbi* inscripsit, reie-  
cta Doctoris coniectura haud probabiliorem suppeditat:  
כִּי נִטְצָא כְּסֶפֶר הַיּוֹנִים שְׁחוּת אֶחָד שְׁחוּת שְׁמָן  
מְאָנוּ וּלֹא חֵיה בָּעֵל דָת וְלֹא שְׁמוֹ נִקְרָאת כָּל הַנְּשָׁבִיט  
אַחֲרוֹי מִינֵן כְּמוֹ תְּנֵן אֶפְיקּוֹרָס נִקְרָאוּ אֶפְקוֹרָסִים  
quoniam legitur in libris Graecorum extitisse hominem quen-  
dam, cui nomen fuerit Mane, qui legem repudiauerit, et omnes  
eius adsectatores ex nomine ipsius nuncupatos fuisse Minin,  
quemadmodum ab Epicuro dicti sunt Epicuraci. Manichaeos  
haud dubie designat, nomen vero Mane non in Graecorum  
scriptis legit, sed forsan in Abrahami ben Dior  
ספר הקבלה p. 38. ubi nomen Mane exstare, ex indice Magistrorum Iu-  
daicorum cognoui, quem T. II. Bibliothecae Hebraeae infe-  
ruit ven. Wolfius p. 803. Sed omnium puto consensu va-  
rias ob caussas maior est Hieronymi auctoritas, quam re-  
cen-

centioris Iudaei, qui de gentis suae sectis ex Graecorum duntaxat commentariis se sapere profitetur, vel potius mentitur. Reftius idcirco Minaeorum denominationem a re-  
gione, quam Epiphanius Nazaraeis adsignat, repeto: ἐσι δι-  
άντη η ἀρεσις η Ναζωραιων εν τη Βεροαιων περι την Κοιλη  
Συριαν, και εν τη Δεκαπολει περι τα της Πελλης μέσην, και ο  
την Βασανιτιδι τη λεγομενη Κακαβη, Κωχαβη δε Εβραιη λαγο-  
μενη εκειθεν γαρ η αρχη γεγονε μετα την απο των ιεροσολυ-  
μων μετασατιν, παντων των μαθητων των εν Πελλη φιληστων, χρι-  
στο Φήσαντος καταλεψι τα ιεροσολυμα, και αναχωρησαν. επει-  
δη ημελη πάσχειν πολιορκιαν και εκ της τοιαυτης υποθέσεως  
την Περαιαν οιησαντες, εκεισε, ως εφην, διετριβον εντεῦθε  
η κατα τας Ναζωραιων αρεσις έχει την αρχην. Sed Nazaraeo-  
rum haecce secta in Beroensi ciuitate porisimum viget, ad Coelen  
Syriam atque etiam in Decapoli iuxta Pellam, et in Basanide  
in ea quae Kokabe, hebraice vero Chochabe dicitur. Inde nam-  
que initia illorum profecta sunt, cum omnes discipuli, post illam  
ab Hierosolymis secessionem, Pellae habitarent, a Christo de re-  
linquenda Hierosolymorum urbe migrandoque praemoniti, quod  
eius immineret obsidio. Et hac occasione factum est, ut in Pe-  
raea, iis quibus diximus locis, degerent; indeque Nazaraeorum  
sectae deducta sunt primordia; l. c. cap. 7. Huius vero regio-  
nis incolas Minaeos fuisse dictos satis abundeque demonstra-  
uit Samuel Bochartus in Geographiae S. parte I. L. II. c. 22.  
Haud minus itaque falluntur qui a Manete factum esse pu-  
tant, vt Minaeus pro haeretico, et pro mendace Man vifur-  
petur, quam qui Manetem inde nomen traxisse coniiciunt,  
quod in Oriente quilibet haereticus Min siue Minaeus dicatur;  
conf. Io. Alb. Fabricii Biblioth. Graec. vol. V. p. 282. Sunt, fa-  
teor, in Hieronymi verbis quae primo intuitu grauissimis  
obnoxia videntur dubiis: praeterquam enim quod haud cre-  
dibile sit, inter Iudeos censeri voluisse, qui crediderint in  
Chri-



*Christum filium Dei natum de virginе Maria, in ipsis quoque synagogis hanc viguisse sententiam ab omni veritate abhorret.* Sed haec, nisi fallor, haud difficulti negotio soluuntur; ad prius enim quod attinet, verba haecce: *filium Dei natum de virginе Maria, vel Hieronymi sunt, quibus non Nazareorum quidem, sed suam potius fidem declarauit, vel eo tantum sensu accipienda, vt Christum non aliam propter caussam *filium Dei* nuncupasse censeantur, quam quod supernaturali modo *de virginе natus* sit.* Evidem Augustinus de Haeret. c. IX. itidem Nazaræos *Christum Dei filium consisteri* perhibet, sed Hieronymi haud dubie auctoritate, eodemque proinde sensu; secundum Theodoretum, vt diximus, *Christum tanquam iustum hominem honorarunt.* Alterum vero dubium prorsus evanescit, si per *Synagogas* communionem Iudeorum intelligimus, vt sensus sit: damnari quidem Nazaræos a Pharisæis, nihilominus tamen in communione Iudeorum versari, quemadmodum nempe Sadducaeī tempore Seruatoris. Septimo tandem saeculo si quid coniicio ad Muhammedanam superstitionem accesserunt. (\*) Proinde, vt in summa in qua fusi haec tenus dicta sunt contrahamus: Nazaræi a Iudeis

I 2 in

(\*) Benschoab remarque dans la vie de Mahomet, qu'en l'année troisième de l'hégire, de Jesus Christ 625. Mahomet fit la guerre à plusieurs Princes de l'Arabie, et que les ayant subjuez, il les réduisit tous avec leurs sujets en esclavage. L'année suivante il donna un combat aux Nazaréens, ou Nadaréens, qui étoient juifs; il en defit un grand nombre, et obligea les autres d'abandonner leur pays, et de se retirer dans celui de Caïbar; il eut encore depuis ce tems-là plusieurs affaires avec eux, mais enfin il leur donna quartier, et leur accorda des lettres de sauvegarde et de protection. Augustin Calmet Dictionnaire Critique de la Bible T. III. edit. Genev. p. 366. ex Bibl. Orient. p. 475.



in eo tantum diuersi fuere , quod Seruatorem propter miracula Apostolorum , tanquam iustum hominem honorarint , filiumque Dei , eo sensu nuncuparint , quod per singularem Spiritus S. operationem ex virgine natus sit , Matthaei quoque Euangelio vni , sed corrupto et interpolato , ab Ebionitarum tamen Euangelio diuerso ; Iudeorum itaque sectis accensendi sunt : sed qui relicta Iudeorum communione christiana sacra cum Baptismo suscepserunt , propter errorem de necessaria legis obseruantia , Ebionitae nuncupati sunt , denominatione non ab haeresiarcha , sed a vocabuli significatione deducta ; ab Ebionis enim adsextatoribus in eo cum primis dissenserunt , quod Iesum , quem illi a Iosepho genitum adfirmabant , Spiritus S. virtute conceptum crediderint ; quocirca ad Ebionitas transiisse dici nequeunt . Inde vero consequitur Nazaraeos citra rationem in illis numerari qui ecclesiam christianam erroribus suis conturbarunt , siquidem ex quo ad christianam communionem accesserunt erroresque suos propugnarunt , Ebionitae dicti sunt . Sed Nazaraeorum denominatio latius etiam patuit apud Iudeos , cum enim iuxta Epiphanium Haer. XXIX. c. 9. ter de die solenni imprecatione Nazaraeos proscripterint , Hieronymus ad Esa. XII. sub Nazaraeorum nomine in omnes Christianos maledicta ab ipsis congesta adserit . vid. Ittigius de Haeres. acui Apost. p. 70.

### §. XXIII.

Sed de Cerinthianis , quorum nempe occasione propter communem iudaismum de Ebionitis et Nazaraeis hactenus differui , superest , vt errorem *de vicario pro mortuis Baianismo* perperam illis tribui , vel Paulum saltem 1. Cor. XV. 29. ad eiusmodi abusum , pro confirmanda mortuorum resurrectione , neutiquam prouocasse , breuiter strictimque ostendemus .



stendamus. Qui Baptismum pro mortuis a Cerinthianis repetunt Epiphanii praetendunt auctoritatem; sed Epiphanius, tantum abest ut huic opinioni subscripsisse existimandus sit, ut potius verba quae hoc spectant Paulina longe rectius de clinicis, instante morte baptizatis, intelligi censuerit: ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ πατρίδι, Φημὶ δὲ λοιδόρι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Γαλατίᾳ πάνυ ἡμετέρῳ τῷ τέτταν διδασκαλεῖον, ἐν οἷς καὶ τι παρεδόθεως πρᾶγμα ἥλθεν ἐις ἡμᾶς ὡς τινῶν μὲν παρὰ αὐτοῖς προφθανόντων τελευτῆς ἀνευ βαπτίσματος, ἄλλος δὲ ἀντ' αὐτῶν ἐις σύνομα ἐκείνων βαπτίζεθαι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐν τῇ ἀναστάσει ἀνασάντας αὐτὸς δίκην δέχναι τιμωρίας, βαπτίσμα μὴ εἰληφότας, γίνεσθαι δὲ ὑποχέιρις τῆς τοῦ κοσμοποιῶν ἔξτασις· Καὶ τέττα ἔνεκα ἡ παρεδόθεις ή ἐλθεῖσα ἐις ἡμᾶς, Φητὶ, τὸν αὐτὸν ἀγιον Ἀπόστολον ἐιρηκέναις ἐις ὅλως νεκροὶ ώκεν ἐγείρονται τοι καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; Καλῶς δὲ ἀλλοι τὸ ἑρτὸν ἐρμηνεύοντες, Φασὶν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτῶν, ἐὰν ὁσι κατηχόμενοι, ἐστὶ ταύτη τῇ ἐλπίδι, πρὸ τῆς τελευτῆς λετρῷ καταβιῶνται δεινούντες ὅτι ὁ τελευτῆς καὶ ἀναστέται, καὶ διὰ τότε ἐπιδέεται τῆς διὰ τὴν λετρὸν ἀφέσεως ἀμαρτημάτων. Etenim in hac ipsa regione Asiae nec non in Galatia illorum eiusmodi schola cum primis ac disciplina floruit; inde per traditionem accepimus, si quidam ex iis citra Baptismum excesserint, alios pro iis eorumque nomine baptizari, ne resurrectionis die ad vitam reuocati praetermissi Baptismi poenas dependerent, atque eius qui mundum condidit dominationi subessent. Addit eadem traditio, huius carissima ipsum sanctum Apostolum scripsisse: si omnino mortui non resurgent τι καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτῶν; verum alii commode hoc dictum interpretantur, de iis qui instantे morte, si quidem catechumeni sint, propter eandem spem (resurrectionis) viui adhuc sacra lassatione purgantur; demonstrantibus videlicet, mortuos resurrecturos esse, et propterea peccatorum, quae per Baptismum obtinetur, remissione se indigere;



gere; Haer. XXIX. c. 6. Et certe nisi me omnia fallunt plana haec est expositio omniumque digna adprobatione. Aliorum hoc de loco sententias proponere, et quid in singulis mihi displiceat edifferere, longum foret; (\*) idcirco instituti memor tribus tantummodo verbis patefaciam, eam quam Epiphanius hic suppeditauit interpretationem verbis haud minus quam scopo diuini scriptoris, id quod nulla indiget demonstratione, (\*\*) exakte respondere, atque adeo vexatissimi huiusc loci non significationem tantum sed sensum utique aperire. Praepositionem ὑπὲρ cum genitiuo vicinitatem nonnunquam inferre, negari, opinor, nequit, (\*\*\*) proinde verba ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ad subiectum reuoco, in posteriori autem membro ellipsis statuo participii: alioquin quid facient (οἱ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν) qui mortuis vicini sunt Baptismum suscipientes? cur adhuc baptizantur (ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ὑπέρχοντες) cum mortuis iam vicini sint?

## §. XXIV.

(\*) Coronidis loco catalogum adiiciam auctorum qui verbis hisce Paulinis perspicuitatem lucemque adfundere annisi sunt.

(\*\*) Bellarminus enim durum ac violentam hanc vocat expositionem L. I. de Purgat. c. 6. Georgius autem Calixtus, de immort. animae et resurr. carnis p. 46. et sane, inquit, si ferret natura Graeci sermonis, hunc sensum facile admitterem, nam Ecclesiae consuetudinem semper fuisse, ut catechumeni, in periculo mortis constituti, baptizarentur, et Apostolum ab eo quod uniuersa Ecclesia recte factitaret, argumentum petere, nemini videri potest improbabile. Ceteris igitur explicationibus hanc ipsam praeferunt ē recentioribus Io. Caluinus, Petrus Martyr, Rudolphus Gualtherus, Nic. Hemmingius; plures dabit Bosius de Clinici, cap. II.

(\*\*\*) Apud Thuc. L. II. εἰς Αἴθιοντας τῆς ὑπὲρ Αἰγυπτών ὑπὲρ τῆς πόλεως vid. Scapula.



## §. XXIV.

De Simone mago, cuius, ex Irenaei sententia, omnes qui quoquo modo adulterant veritatem discipuli et successores sunt, L. I. c. 30. antiquorum quidem scriptorum monumenta nullum nobis produnt dogma quo initiationis mysterio aperte quidem iniuriam intulisse existimandus fit; sed auctor anonymous libelli: *non debere denuo baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Iesu Christi tinti sunt*, a Nic. Rigaltio in notis ad Cyprianum ex MSCto Remensi publicati, quem Labbeus, Tom. I. Concil. p. 770. Vaticani codicis auctoritate Vrsinum, sive Ursicinum, (\*) Monachum Afrum esse suspicatur, Simonianos ignem aquae dicit addidisse, quod in Pauli Praedicatione, apocrypho libello, scriptum fuerit, cum Christus baptizaretur ignem super aquam fuisse visum: (\*\*) *Ten-  
tant nonnulli iterum tractare se solos integrum atque perfectum,  
non sicuti nos mutilatum et decurtatum Baptisma tradere. Quod  
taliter dicuntur adsignare ut quam mox in aquam descende-  
runt,*

(\*) Circa A. C. 440. clarum; Caeus tamen in Hist. Liter. p. 93. Episcopum quandam Cypriani σύγχρονον fuisse contendit. vid. Ittigii Adpend. ad Diff. de Haeres. p. 7. et Fabricii Biblioth. Graec. vol. XI. p. 344. et Eiusd. Cod. Apocr. N. T. vol. I. p. 799. vol. II. p. 654.

(\*\*) Addit auctor: *quod in Euangelio nullo est scriptum; sed scriptum vtique fuit in Euangelio Ebionitarum, cuius haec verba sunt apud Epiphanium, Haer. XXX. cap. 13. καὶ ἐνδὺς περιέλαμψε τὸν τόπον Φῶς μέγα. Iustinus in Colloquio cum Tryphone p. 315. Κατελθόντος τῷ ἵντῃ ἐπὶ τῷ ὑδωρ, καὶ πῦρ ἀνῆφθη ἐν τῷ Ιορδάνῃ καὶ ἀναδύντος αὐτῷ ἀπὸ τῷ ὑδάτος, ὡς περιέβερεν τὸ ἄγιον πνεῦμα ἐπιπτῆνται ἐπ' αὐτὸν ἔγραψαν οἱ Απόστολοι αὐτῷ τῷτο τῷ Χριστῷ ἡμῶν. Fabricii Cod. Apocr. N. T. vol. I. p. 347.*



runt, statim super aquam ignis adpareat. Quod si aliquo lusu perpetrari potest, sicut adfirmantur plerique huiusmodi lusus Annaxilai (\*) esse, sive naturale quid est, quo pacto possit hoc contingere, sive illi putant hoc se confidere, sive maligni opus et magicum virus ignem potest in aqua exprimere: illi tamen fallaciam et stropham praedicant perfectum Baptisma esse, quod fideles homines si coacti fuerunt accipere, utique non dubitabatur eos quod habuerant (\*\*) amisisse. Verum huic narrationi Eusebii quodammodo obstat auctoritas, qui Simonianos haud raro, ut pestinum et immedicable venenum suum fidelium mentibus instillarent, Magistri sui exemplo Baptismum in Ecclesia suscepisse refert, L. II. H. E. c. 1.

## §. XXV.

Pauli adhuc aevo Hymenaeus et Philetus, dum resurrectionem iam factam docuerunt, 2. Tim. II. 17. 18. non tantum implicite negarunt Baptismum ad aeternam salutem mortali bus prodesse; verum ipsam quoque apostolicam hoc de sacramento doctrinam ad praesidium grauissimi erroris sui pessime detorserunt; siquidem, quae valde probabilis mihi videtur Augustini (†) et Pseudo-Anselmi (††) coniectura, per resurrectionem, quam factam dixerunt, spiritualem sive my-

---

(\*) Larissaei, magi Pythagorei, qui ab Augusto urbe et Italia pulsus est; cuius *ταῦρια* sive ludicra memorant Ireneaus L. I. c. 8. Epiphanius, Haer. XXXIV. et Plinius passim; vid. Fabricii Biblioth. Graec. vol. I. p. 741. vol. XIII. p. 56. et Petavii Animaduers. ad Epiphanii l. c. p. 71.

(\*\*) Baptisma, rite quandam collatum.

(†) Epist. 119. et Hom. XIX. in Ioannem.

(††) In Comment. ad 2. Tim. II.



mysticam intellexerunt ἀνάστασιν, quam nempe per Baptis-  
mum fieri ipsius Pauli confirmare potuerunt testimoniis,  
Rom. VI. 4. 5. 8. Col. II. 12. factum enim haud raro dicimus  
quod fieri iam coepit. Reliquas hoc de adserto suspiciones,  
Theodoreti videlicet, Pelagii, Sedulii, Theophylacti vel Cor-  
nelii potius a Lapide, Petersenii, Grotii et Vitringae, sed  
parum ut arbitror verosimiles, refert Ittigius, in *Diss. de Hae-*  
*ref. p. 85.* et in *Adpend. p. 28. seq.* itemque Buddeus in *Eccle-*  
*sia Apost. p. 300. seq.* Mirum quidem videtur, quod Baptisi-  
mi ac proinde Christianismi necessitatem agnoscere potue-  
rint, qui praecipuum hocce caput doctrinae christianaæ ut  
euerterent nihil fecerunt reliqui; maxime cum animam  
quoque post hanc vitam superesse negauerint, id quod ex  
Pauli, qua 1. Cor. XV. usus est, argumentatione apertum  
planumque censeo. Corinthios namque eodem istorum  
hominum errore adflatos fuisse, vel inde colligitur, quod  
inter probationes, quibus de futura resurrectione certiores  
a Paulo facti sunt, nullum adpareat Scripturæ testimonium  
direcťe quidem probans; ut ne dicam argumentatione a cli-  
nicorum Baptismo comm. 29. deducta eandem quam Augu-  
stinus adsecutus est exceptionem haud obscure profligari.  
Verum Hymenaeus et Philetus Sadduceorum, ut puto, pla-  
cita inuixerunt, qui animas quidem cum corporibus doce-  
bant extingui, alteriusque adeo vitae praemia et poenas una  
cum resurrectione infitiabantur; Deum tamen res humanas  
curare, et bonis in hac vita bene facere agnoscebant, ut ob-  
seruauit Geth. Ioh. Vossius *L. I. de origine idolol. 6. X. p. 72.*  
Proinde, si in re obscura coniecturae locus est, Hymenaeus  
et Philetus Baptismum ad spiritualem resurrectionem existi-  
marunt necessarium, resurrectionem vero spiritualem ad  
vitae sanctimoniam, et hanc denique propter promissiones,

K

quae



quae ad hanc vitam pertinent, vrsurunt. Alioqui videlicet omni neruo caruisset haec argumentatio, a pessimo consecratio illata: *edamus et bibamus, cras enim morimur*, v. 32. immo perperam Paulus ad experientiam prouocasset: *fideles, si in hac solum vita in Christum sperarent, miserrimos fore omnium hominum*, v. 19. vtrumque profecto concede re, immo ad confirmationem erroris arripere potuissent aduersarii, si quidem, vt plerique arbitrantur, eadem opera pietatem bonosque mores euertere in animum induxisserent. Quodsi Pseudo-Abdiae credimus Philetus deinceps cum Hermogene diuinitatem Iesu Christi negavit, sed a Iacobo, Ioannis fratre, ad veritatem reductus est. Sed haec obiter, ne quidquam praetermitteremus quod doctrinam de Baptismo vel leuiter attingit.

### §. XXVI.

Denique Tito vel Domitiano imperante (\*) Menander Samaritanus magus, Simonis haeresiarchae discipulus, (\*\*) dum *Seruatorem se nuncupauit ad hominum salutem ex aenis quibusdam inuisibilibus* (\*\*\*) ab alto destinatum, et iis qui in suo

(\*) Matthaei Larroquani argumenta, quibus Menandrum non sub Tito vel Domitiano, sed sub Traiano vixisse probatum iuit, iudice Itigio l. c. p. 49. infirmiora sunt, quam ut probare possint quod debent.

(\*\*) Μένανδρος τις ἐστὸς Σαμαρείτῶν ὁρμάμενος ἐγένετο μαθητέων τότε τῷ Σίμωνι ἐν Χρόνῳ τυπικῷ Epiph. Haer. XXII. cap. 1.

(\*\*\*) Itigius in *Adpend. ad Diff. de Haer.* p. 14. apud Ireneum L. I. c. 21. pro inuisibilibus rectius legi putat inuisibili; sed



suo nomine baptizarentur immortalitatem, ita ut non senescentes perseuerarent, (\*) restipulatus est, ipsam formam Sacra-  
menti corruptit; et impudentissima hacce promissione An-  
tiochenam cum primis Ecclesiam turbauit. (\*\*) Sed vanam  
istam blasphemii nebulonis arrogantiam ipsa utique breuis  
temporis experientia satis abundeque repressit; conf.

Tertulliani *L. de Anima*, cap. L.

## T A N T V M .

Ἐυλογητὸς ὁ Θεός καὶ πατήρ τῶν κυρίων ἡμῶν Ἰησὺ<sup>ς</sup>  
Χριστὸς, ὁ κατὰ τὸ πολὺ ἀντὶ ἔλεος ἀναγεννήσας  
ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν διὰ αναστάσεως Ἰησού<sup>ς</sup>  
Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν.

sed receptam lectionem Eusebii confirmat testimonium:  
ὁ σωτῆρς - - - εἰς αἰράτων αἰσώπων ἀπειλμένος, *L. III. H.*  
*E. c. 26.*

(\*) Irenaeus, *L. I. cap. 21.* add. Iustini *Apol. II. p. 70.* Tertulliani  
*L. de Prael. cap. 46.* et Theodoret. *Haeret. fab. L. I. cap. 2.*

(\*\*) vid. Eusebii *H. E. L. III. cap. 26.*

K 2

CO.



# CORONIS.

*Syllabus Scriptorum qui verba Pauli 1. Cor.  
XV. 29. illustrare annisi sunt.*

- T**heoph. *Alethaei Erleuterungen* T. II. p. 398.  
*Auctor vitae Abaelardi et Heloisiae* 1720. editae; Mem.  
 Triuult. 1721. mensis Iunii.
- Anonymi Angli* (Kingii) *Historia symboli apostolici* a B. Gott-  
 frido Oleario in latinum traslata, p. 321. -
- Frid. *Baldinus* in *Comm. ad h. I.*
- Casp. *Barthii Aduerſ.* L. XLIV. c. 2.
- Sam. *Battierii Obſ. S. in Bibliotheca Bremensi Class. VI.* p. 100.  
*Robertus Bellarmiſus*, L. I. de *Purgatorio* c. 6.
- Corn. *Bonavent. Bertrami Lucubrations Franckenthalenses*  
 c. IIX.
- Ioſephī *Binghami Origines ſ. Antiq. Ecclef.* vol. IV. p. 186.
- Sam. *Bocharti Opp. Vol. I.* p. 1026.
- Io. Andr. *Bosii Exerc. de Clinicis veteris Ecclesiae cap. II.*
- Io. *Braunii Select. Sacr. L. I. c. 3. §. 74.*
- Aug. *Buchneri Diff. Epistol. de h. l. ad Balth. Meißnerum.*
- Io. Franc. *Buddei Ecclesia Apost.* p. 826.
- Georgii *Calixti de immort. animae et resurr. carnis Liber vnuſ*  
 cap. VI. theſ. 7.
- Augustini *Calmeti Diff. epistolis Paulinis praemissa*, qua XXIV.  
 ſententias recensuit; itemque *Dicſ. Hist. Crit. de la Bible*  
 T. I. p. 376. edit. Genev.

Abra-



- Abrahami *Calouii* Dissertatio Witteb. 1684.
- Io. *Cameronis* Myrothecium Euangelicum p. 229.
- Io. Bapt. *Casalii* de profanis et sacris veteribus ritibus, P. III.  
p. 442.
- Dan. *Chamieri* Panstratia Cath. L. XXVI. c. 19. p. 1212.
- Christiani *Chemnitii* additam. ad Genesin num. 1.
- Martini *Chemnitii* Examen Conc. Trid. P. II. 380. IV. 14.
- Io. *Clericus* ad h. 1.
- Io. *Cloppenburgii* Exerc. sel. VI.
- Pauli *Colomesii* Obs. S. p. 33.
- Ant. van *Dale* Diff. de Antiquitatibus p. 137.
- Io. *Dallaenus* de satisf. hum. L. I. c. 17.
- Io. *Conr. Dannhaueri* Christ. p. 446. itemque in Idea boni in-  
terp. p. 144. et in Mysterios. fest. II. art. 3. §. 60.
- Frid. *Deutschii* Dissertatio, Regiom. 1698.
- Sal. *Deylingii* Obs. S. P. II. num. 44. p. 389.
- Lud. de *Dieu* Crit. S. p. 707.
- Io. Georg. *Dorschei* Myst. Miss. p. 311.
- Iac. *Elsneri* Obs. S. tom. II. p. 128.
- Sim. *Episcopii* Resp. ad quaest. XXXV.
- Guil. *Eftius* ad h. 1.
- Io. Alb. *Fabricii* Bibliographia Antiq. cap. XI. p. 392.
- Matth. *Flacii* Clau. Scriptur. p. 694.
- Wolfgangi *Franzii* tract. de interpret. S. Scr. Orac. LXXX.  
p. 854.

K 3

Srey



- Greywillig *Hebopfer*, T. I. p. 412.  
 Io. *Gaigneus* in cap. XV. Actor.  
 Mart. *Geierus*, de precibus pro def. thes. 16.  
 Io. *Gerhardi* LL. Theol. T. IIX. de morte §. 268. itemque  
     Confess. Cathol. L. II. part. II. 9.  
 Sal. *Glaßii Philol.* S. p. 1063.  
 Dan. *Grade de Baptismo pro mortuis*.  
 Hugo *Grotius* ad h. I.  
 Io. *Harduini Opp. sel.* p. 217.  
 Phil. Iac. *Hartmannus*, in *Commentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis* p. 607 seq.  
 Dan. *Heinsii Exercit.* S. ad N. T. L. VII. c. 13.  
 Christoph. Aug. *Heumann Poecile Tom III.* l. 1.  
 Joach. *Hildebrandi Offert.* pro def. c. 3. itemque de arte bene  
     moriendi, c. 4.  
 Io. Frid. *Hombergii Parerga* S. p. 261.  
 Io. *Hoornbeckii L. I. Miscell.* p. 479.  
 Andreas Gerhardus *Hyperius* in *peculiari libello Guelferb.*  
     1664. 8. recuso.  
 Thomeae *Ittigii Dissert.* de Haeresiarchis aeui Apost. p. 55.  
 Christoph. *Instillus* in *notis ad Can. LVII. Eccl. vniu.*  
 Nortonus *Knatchbull* in *Animaduers.* ad h. I.  
 Iac. *Laurentius* in *Explicat.* LL. difficil. Pauli, p. 440.  
 Io. Wilh. de *Lith Steine des Anstoßens* P. II.  
 Mart. *Lutheri T. VI.* Ien. Germ. fol. 246.

Io.



- Io. Tob. *Maior de oratione pro def.* cap. II. thes. 95.  
 Io. Henr. *Maius in Obs. S. L. II.* p. 111.  
 Io. *Maldonati Disp. de Baptismo*, tom. I. p. 75.  
 Io. *Marckii Exerc. iuuen.* Diff. XXV. p. 539.  
 Alex. *Mori notae* p. 133.  
 Thom. *Mortoni Apol. Cathol.* P. II. L. V. c. 44.  
 Steph. *le Moyne Not. ad var. Sacr.* p. 710.  
 Henr. *Mulleri Dissertatio*, Rostochii 1665. in *Thesrauro Phil. Theol.* N. T. p. 563.  
 Iac. *Nyloë Obs. S. belgicè*, L. II. c. 6.  
 Gottfridi *Olearii Obseru. philol. de Baptismo pro mortuis*  
Lips. 1704.  
 Christoph. *Matthaei Pfaffi Origines iuris eccles.* p. 83.  
 Io. *Andreae Quenstedii Antiquitates Biblicae*, p. 358. 361. f.  
et *Systema Theol.* P. IV. p. 381.  
 Iac. *Reichmanni Dissertatio Witteb.* 1652.  
 Nic. *Rigaltius in notis ad Tertull. de resurr. carnis cap. 48.*  
 Andreae *Riueti Cathol. orthod. tract. II. quaest.* 44. T. III.  
Opp. p. 242.  
 Christ. Aug. *Salig de Diptychis veterum*, Halae 1731. 4.  
p. 143. seq.  
 Alph. *Salmeron T. XIV. Comment. disp. XXIV.*  
 Io. *Sauberti Palaestra theol. philol.* p. 197.  
 I. C. *Scaligeri Epist.* 236. f.  
 Georgii *Schelhornii Exercitatio in Biblioth. Brem. Class. VIII.*  
p. 649.

Seb.



- Seb. Schmidii Disp. de Baptismo super mortuis, Argent. 1656.  
 et in Dissert. de Sabbatho deuteroproto.
- Anna Maria Schurmannia in Epist. ad Lydium p. 69.
- Frid. Spanhemii fil. Opp. T. III. p. 577.
- Henr. Bened. Starkii Notae sel. in N. T. p. 130.
- Sam. Strimesii Dissertatio, Francon. 1709.
- Io. Casp. Suiceri Thesaurus Eccles. T. I. p. 640. et Obs. S. c. 3.
- Io. Tarnouii Exercit. Bibl. L. II. p. 654.
- Phil. Io. Tilemanni Dissertatio, Francon. 1667.
- Gerh. Io. Vossii Disp. XII. de Baptismo.
- Wilhelmi Wall Historia Paedobaptismi anglicè edita p. 239.
- Sam. Werenfelsii Cogitat. ad loca N. T. p. 336.
- Franc. Wokenii Meditat. priuat. T. I. p. 117.
- Martini Zeuschneri Diss. inaug. Francon. 1706.

\*\*\* \*\*\* \*\*\*

De H. G. Masii disceptatione epistolica cum Botsacco, non-  
 dum edita, vid. Reu. Bernh. Raupachii Comm. de rei sa-  
 crae et litter. in Dania statu, p. 52.

